SYLLOGE
Physico-Medicinalium
CASUUM
INCANTATIONI
vulgò adſcribi ſolitorum,
maximéqúe præ cæteris memorabilium
DECURIAS VI.
complectens.
Cum inſperſis partim, partim ſubnexis
huc ſpectantibus
JUDICIIS & CURATIONIBUS.
Cui loco MANTISSÆ acceſſerunt

I. Quæſtio ſolemnis: An monſtroſa varia illa Excreta reverâ in corpore fuerint, vel extrahantur? an verò Præſtigiæ Dœmonis ſint, extra ſaltim talia in corporis ſuperficie oſtentantis?

II. Helmontii Tract. de Receptis Injectis; de Injectis Materialibus: de Injaculatorum Modo Intrandi.

III. Lævin. Fiſcher. de Morbis Magicè per Sagas inductis naturaliter curandis.

IV. Bartholom. Carrichteri Ratio Medendi Morbis ab Incantatione dependentibus, nunc primùm Latinitate donata.

V. Collectanea & Secreta Myliana ad Morbos Magicos, maximam partem è Germanica in Latinam Linguam translata, & nunc primùm publicam in lucem emiſſa.

Collegit, adornavit, edidit
D. GEORG. ABRAHAM. MERCKLINUS
Ducal. & Reipubl. Norimberg. Medic. ord. &c.

NORIMBERGÆ,
Impenſis JOHANNIS ZIEGERI & GEORGII LEHMANNI,
ANNO M DC XCVIII.

Smith
176

INCLUTÆ

SACR. ROM. IMPER. LIBERÆ CIVITATIS

WEISSENBURGENSIS

CONSULIBUS

SYNDICO

ET

SENATORIBUS CÆTERIS

PRUDENTISSIMIS

DOMINIS AC FAUTORIBUS

COLENDISSIMIS HONORATISSIMIS

IN

RECORDATIONEM ATQUE AMOREM

DULCIS PATRIÆ SUÆ

CUI

OPTIMUS PATER

ΝΥΝ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ

PER INTEGROS XX. ANNOS

MEDICO MUNERE

INSERVIIT

EGO VERO

OB ACCEPTA BENEFICIA

NON PARUM DEBEO

ET PROPTEREA INDE A PUERITIA

USQUE IN HUNC DIEM

NUNQUAM NON HONESTISSIME CUPII

ATQUE NUNC
ALMÆ PACIS CONSTANTIAM
INTERMINATUM REGIMINIS DURAMEN
IRREFRAGABILE CIVIUM OBSEQUIUM
IMMARCESCIBILEM FELICITATEM
FORTUNATOS RERUM SUCCESSUS
AUSPICATOS CONSILIORUM EVENTUS
VERBO
OMNIUM BONORUM COMPLEMENTUM
DEI OPT. MAX.
GRATIAM AC TUTELAM
CALIDISSIMIS VOTIS EXOPTANS
QUICQUID HOC EST OPERIS
PIA ANIMI PROPENSIONE
D. D. D.
OMNI STUDIO AC FIDE ADDICTISSIMUS

D. GEORG. ABRAHAM. MERCKLINUS
WEISSENBURGENSIS NORICUS
DUCAL. ET REIP. NORIMBERG.
MEDICUS ORD.

PRÆ-



PRÆFATIO
ad
Lectorem benevolum,
quâ tres præcipuæ circa Morbos Magicos agitari solitæ sententiæ breviter expenduntur: Cum Occasione simul ac Ratione scribendi.

TRes potissimùm circumferuntur Doctorum *sententiæ circa Morbos*, qui *ab Incantatione dependere* creduntur. Sunt enim, qui hujusmodi Incantationi nihil prorsus, sunt contrà alii, qui nimium ei, tribuunt; & sunt denique, qui inter hos medium tenent.

Sententia de Morbis ab Incantatione.

Qui *nihil* omnino *Incantationi tribuunt*, hoc est, qui *Morbos ab Incantatione oriundos* penitus *negant*, in defectu peccare videntur, quos inter facilè princeps est Joh. Wierus, qui tanto ingenii impetu *Incantamenta*, indeque derivari solitos effectus, *impugnat*, ut propterea *Magiæ suspicionem* tantùm non ipsemet *incurrerit*; tametsi ob hanc solam rationem ejus criminis neutiquam arguendus videatur, nisi ejus à Præceptore suo, Corn. Henr. Agrippa, *Magorum*, suâ ætate, *principe*, doctus censeri velit.

Argumenta negantia Incantationem.

Wierus negat Incantationes.

Wierus pro Mago habetur.

Agrippa Magus.

Hic, inquam, Wierus peculiari atque integro *Libr. de Præstig. Dæmon.* aliquot speciosis *argumentis vanitatem Morborum Magicorum evincere* conatur, quando inter alia asserere, non erubescit, Sagas reverâ nullos inferre

Wieri argumenta contra Morbos Magic.

 Morbos,

Morbos, etiamsi eos intulisse, propriâ confessione ipsæ affirment, & hinc plerasquè historias de similibus, quæ prostant, casibus, vel fictas, interque fabulas recensendas esse, vel ad Morbos ex naturalibus, seu potiùs præternaturalibus, causis oriundos referri posse ac debere; imò contendit, omnia illa, quæ Sagæ facere, vel fecisse, sibi persuadent, mera somnia & phantasmata esse; cùm quæ se, ob corruptam à malo Dœmone phantasiam, aut ex delirio melancholico, fecisse, fatentur, fieri per naturam nullo modo potuerint; haud multo aliter, ac illi, qui ex delirio, se aut bruta esse, aut fictilia vasa, aut ex butyro constare, aut alia prorsus falsa, corrupto animo, concipiant.

Hoc amplius in ea strenuus hic Sagarum protector versatur opinione, absurdas illas atque monstrosas res, quales nonnunquam fascinatos vel vomitu, vel per alvum, rejecisse, vel in abscessibus repertas esse, historiæ produnt, reverâ in corpore fascinati non extitisse, nec ex eo prodiisse, sed Diaboli artificiosâ subtilitate, ac imperceptibili celeritate, ori demum inter vomendum ingestas, aut subdolè fuisse suppositas, adstantium oculis agilitate illâ ad hæc vel victis, vel fascino delusis, vel interjecto corpore aereo, aut aliâ quâdam ratione, quasi obvelatis; haud absimili illo ferè modo, quo fumivenduli illi præstigiatores, & fraudulenti agyrtæ, manuum agilitate spectatorum oculos fallere, & ita quasi fascinare sciant, ut simplices homines, & imprimis imbecillis ingenii fæmellæ, quibus imponere faciliùs sit, ea reverâ fieri credant, quæ tamen ita minimè se habeant, & meras tantùm præstigias redoleant.

Symptomata Morbor. Magic. examinantur & impugnantur.

Denique omne tulisse punctum hic sibi videtur Author, quòd aliquot ex Veneficio prognatorum *Morborum symptomata*, & similium casuum effecta atque phoenomena, membratim rigidè *expendat*, deductis iis omnibus ex naturalibus, seu potiùs præternaturalibus, causis; ubi modum quoque simul suggerit, quo illa naturali-

turaliter fieri potuisse, suspicetur; quo effecisse putat, ut ad Incantationem, sive transnaturales, ut Fernelius vocat, causas, confugere, indequé hujusmodi symptomatum originem derivare, neutiquam opus esse, arbitretur.

Nec multum à temeraria hac opinione illa Leonhard. Vairi abludit, qui peculiari *Tract. de Fascin. Libr. V. cap. II. pag.* 48. non ex spe, inquit, vel persuasione, vel ex fide, *verba* fascinandi potestatem habent, sed homines, qui hac insaniâ agitantur, in varia duntaxat deliramenta, & insanias, rapiunt; namque talium rerum spes, persuasio, & fides, quæ est ingeniosa quædam credulitas, non nisi in superstitiosis quibusdam reperitur, extra quorum corpora nil agere possunt. Imò Scharandæus *Libr. de. Rat. Cons. san. cap.* 19. *p.* 147. sine hæsitantia affirmat, sibi nullo modo probari rationibus Philosophicis seu naturalibus, varios Morbos hominibus immitti posse per Veneficia. *Verba non fascinare.*

Verùm enim verò hæc & omnia alia à Veneficio illatorum Morborum vim impugnantia argumenta non minùs forti brachio retundit, quàm concinno ordine elidit Dan. Sennertus *Pract. Medic. L. 6. P. 9. c. 5.* præter plures alios gravissimos Scriptores, & quidem imprimis Joh. Bodinum, qui per totam Præfationem, & sub finem Operis *de Magor. Dæmonoman. Confutationem* Joh. Wieri *Opinionum* datâ operâ *instituit*; ubi inter alia in hæc ipsa prorumpit verba: omnia, inquiens, Wieri argumenta nituntur caduco & putri fundamento, cùm de Spiritibus, Dœmonibus, & actionibus eorum perinde disputet, ac si de rebus naturæ ageret, cœlum terrâ miscens, quod planè absurdum est. Nam scientiæ cuilibet sua principia & velut fundamenta sunt, alia ab aliis diversissima, ex quo omnium errorum cumulus processit, ut habet *ibid. Præfat. p.* 41. Nihilo tamen minùs inficiendum non est, esse contrà rursus alios nonnullos, qui, his non obstantibus, Wiero si non ad omnia pollicem premunt, tamen proximè accedunt, & *in plurimis adstipulantur*, ut sunt Hieronym. *Bodinus Wierum refutat.* *Wieri asseclæ.*

Carda-

Bekkeri opinio contra Satanæ potestatem.

Cardanus, Marcus Marci, Sebast. Wirdig, alii, & præprimis omnes, vel certè plerique, Belgæ, quos inter ex modernis Scriptoribus primum locum obtinet Balthas. Bekker, S. Theolog. Doctor, & Concionator Amstelodam. qui in Opere suo, (quod *Fascinatum Mundum* insignivit, & ex ultima, eâque Belgicè ab Authore adornatâ, & ab ipso auctâ, editione nonnemo in Germanicam Linguam transtulit, atque Amstelodami sex demum ab hinc annis typis exscriptum evulgavit,) eo devenit vecordiæ, ut statuere non vereatur, *Lamiis*, aliisque *veneficis hominibus*, quin ipsi etiam *Satanæ*, ceu solius gehennæ mancipio, *nullam* prorsus *in hominem*, eum ullo modo lædendi, aut morbis afficiendi, competere *potestatem*, ratus, misericordem Deum multò pluris facere omnium creaturarum suarum nobilissimam, quàm ut concedat, ei ullum damnum à malis Angelis, scelestissimisque hujuscemodi hominibus, inferri.

Bekkero respondetur.

Sed nec *huic Authori* desunt, qui *contradicere* sciunt. Vix enim prodiit Liber, cùm mox eum cordati & pietatis studiosiores Viri impetiverint, nec solùm sufficientissimis rationum argumentis, sed & ex sacris Literis haustis irrefutabilibus testimoniis, ac luculentis documentis, novam hanc doctrinam everterint, quò piæ mentes ab objectis illis pedicis tempore sibi cavere discant. Et *cæteris* nominatis, ejusdemque commatis pluribus *Authoribus* similiter adeò solidè *respondent alii*, ut illi victi, hi verò victores utique videri possint; utut exactum *modum, quo Morbi per Veneficium inducantur*, aut quo monstrosæ, absurdæ, & haud rarò mole satis magnæ, omnemque propemodum fidem superantes res in corpus hominis immitti, atque ex eo iterum ejici potuerint, accuratiùs determinando explicare *nesciant*.

Wiero, jusque asseclis, respondetur.

Modus Veneficiorum nescitur.

Naturalium rerum causæ sæpè latent.

Ergone autem propterea res ipsa neganda, quoniam modus, quo ea fiat, ignoratur? Nonne plurimarum *naturalium rerum effectus* sub oculos cadunt, & penè quotidiè occurrunt, quorum tamen sufficientes *causæ* ita *reddi nequeunt*, ut nul-

ut nullum remaneat dubium, nullaque ampliùs urgeri possit instantia? nempe enim adeo caligant mentis atque corporis nostri oculi ad naturalium rerum causas intimiùs pernoscendas. Atqui effectus illos causas certè suas habuisse oportet; tametsi in eas nec corporis nec mentis oculis penetrare liceat. Arcanis enim & occultis motibus ea haud rarò perficit natura, quæ fieri non posse videntur, inque multis naturæ vis fide caret, adeo, ut in occultis illis naturæ operibus non ratio semper quærenda subtiliùs, sed cum admiratione spectandus effectus, fatendumque sit, multa quotidiè fieri, quorum vim naturamque perspicere non possumus, ut habent cedro dignissima & huc apprimè quadrantia ipsissima verba Celeberrimi Thom. Bartholini de *Insolit. Part. human. Viis cap. ult. sub fin.* Ut similes aliorum spectatæ eruditionis & non vulgaris judicii Virorum confessiones silentii sipario involvamus.

Ingenii humani imbecillitas.

Jam verò quodsi humani *ingenii tenuitatem* simulac imperfectionem in naturalibus rebus tanti Viri confiteri coguntur, quid nî idem multò magis in supernaturalibus seu transnaturalibus fateri, necesse sit? maximè cùm hîc circa spiritus, omniumque vaferrimum artificem, Diabolum, disquisitio versetur. Hoc enim ipso & non alio sensu Joh. Bodinus in *Dæmonoman. Magor. Præfat. p.* 20. intempestivas ac subtiliores argutias in perscrutandis causis impiarum actionum Magicarum vehementer damnat, quando cum Aristotel. *Metaphysic.* 1. de Spiritibus agente fatetur, eam esse *humanæ mentis imbecillitatem*, ut cognoscere nequeat veritatem, eoque pacto καθόλυ *cernat* quidem *ignorantiam omnium, nec tamen videat* ἐν μέρει *suam*, eo quòd, ubi non est ratio, ibi etiam non investiganda sit ratio, vel, uti Plinius *Natural. Histor. c.* 4. effert, quòd non ulla in parte sit ratio, sed voluntas naturæ quæri debeat, indignusq; Philosopho videatur sermo, ubi causæ rerum ignorantur, rem ipsam negare potiùs, quàm ignorantiam humanam profiteri; cùm

probatur ex Arist. & Bodino.

** tamen

tamen laus nunquam major tribuatur Deo, quàm si propriam ignorantiam fateamur; contrà verò injuriam Deo faciamus, nisi tenuitatem ingenii nostri agnoscamus. Quare concludit idem Bodinus *ibid. p. 32.* his ferè verbis: cùm habeamus perpetuam historiarum, quæ apud varios populos variis seculis acciderunt, convenientiam, & similitudinem, cum rebus Magarum gestis, & confessionibus earum; non est, *non est pertinaciter cum veritate pugnandum*, si tot effecta, quorum obscura causa est, videntur apertissimè. Nam ubi humana mens causam rei, id est, τὸ διότι nequit pertingere, tunc certè judicium oportet inhibere, & in eo, quod fit, id est, ἐν τῷ ὅτι ἐστὶ consistere. Si igitur, pergit *ibid. p. 40.* legis Dei communis consensio, humanarum legum, populorum omnium, judiciorum, convictionum, confessionum, repetitionum, collationum, executionum, si denique communis sapientum, convenientia non est satis; quæ amplior, obsecro! probatio desiderabitur?

Argumenta Magiam confirmantia.

Hæc in eundem sensum, sed adhuc fusiùs, & quidem syllogisticâ eâque stringentiori formâ persequitur Baptist. Codronchus *de Morb. venef. L. 1. c. 11.* qui Author cùm in paucorum sit manibus, ipsa ejus verba me non piget maximam partem transscribere, quæ vicissim alios legere, minimè tædebit. Ita autem ille: *Quicquid*, inquit, *ab innumerabili hominum utriusque sexûs multitudine asseritur*, variisque temporibus, quasi uno ore, omnes loquuntur, & affirmant; illud procul dubio credendum est, & nullâ morâ negandum. At cùm omni hominum ætate, & ab omnibus populis, ubique locorum observatum sit, quosdam esse, qui Veneficiis homines afficerent, contra quos omnes universi sectæ pœnas imposuerunt; ista velle negare, & impugnare, sanè magna esset pertinacia. Si enim duobus testibus, & in præjudicium alterius tam in judicio, quàm extra judicium, de rebus, quæ possunt contingere, fides habetur; multò magis credendum est multitudini aliquid uniformiter asseren-

Rationes Codronchi Magiam asserentes.

aſſerenti, quia, ſi cui minus videtur ineſſe, ineſt, ergo & cui magis, per regulam topicam. Maxima autem eſt multitudo eorum, qui iſta enuntiant, & quæ narrantur, ſunt poſſibilia, ut ex ſacris Literis, aliiſque compluribus Auctoribus eſt probatum: quare non ſunt ita leviter contemnenda, paſſimque neganda.

Rationes aliæ pro Magia. Deinde ſi inſpiciantur *mille capitis Judicia* & *Scripta*, quæ tot Patres Inquiſitores de hujuſmodi maleficiis ediderunt, non erit amplius dubitandi locus; cùm unicuique in arte ſua perito & experto credendum ſit, ut in Jure Cæſareo ſcriptum eſt. Atqui tales Inquiſitores ſapientes ſimul ac peritiſſimi Viri fuerunt, nec non Juris conſultiſſimi, ad quos utique pertinuit, determinare, an Veneficia ſint vel poſſibilia, an imaginaria credenda, vel non credenda? Imò ipſi Inquiſitores ſunt judices ſuper depoſitionibus, ac teſtificationibus factis de talibus, & ſuper eorum confeſſionibus, an impoſſibiles, & veroſimiles, an fictitiæ & imaginariæ, an à fatuis, vel certè ab his, qui mentis compotes ſunt, fuerint factæ, quâ aſſertione prolatæ, quàm efficaciter comprobatæ, & conſequenter in hujuſmodi judicandis ſuper omnes experti.

Rationes adhuc aliæ pro Magia. Cùm ergo propter hæc ipſa, quæ aſſeruntur, *juridicè ſint malefici*, & Magi iſti ab Inquiſitionibus *graviſſimo judicio condemnati*; nemo debet eſſe tantæ temeritatis, ut eorum ſic damnet judicia, quæ deludenda, & iniquiſſima eſſent, ſi pro ſomniis, vel rebus imaginariis, à veritateque alienis, tot acerrimis tormentis afficerent, & tandem excruciandos, & perimendos traderent.

Argumenta cætera pro Magia. Præterea multi *Viri tam in utroque Jure verſati*, quàm in *ſacra Theologia*, multa reliquerunt Volumina, in quibus dilucidè, & luculenter, iſta vera eſſe, docent.

Sagarum confeſſio. Ad hæc ſi ad conſequendam veritatem *periti* requiruntur; *quinam peritiores ipſis Veneficis* inveniri poſſunt? qui tribus millibus ab hinc annis actiones ſuas, ſacrificia, vene-

ficia, nocturnas asportationes, confessi sunt, & ad mortem usque confirmarunt. Quot enim in Germania, Gallia, & Italia, cremati sunt, quorum concors ubique fuit confessio?

Rationum summa pro Magia.

Si itaque communis *consensus legis Dei*, ejus *Ecclesiæ, Conciliorum*, *Legum Canonicarum*, *Constitutionum Pontificialium*, *sanctorum Theologorum*, *Summistarum*, *Legum humanarum*, *Platonicorum*, *Peripateticorum*, *Medicorum*, *Poetarum*, ex professo, ac de aliis rebus scribentium, omnium populorum, judiciorum, confessionum, convictorum, collectionum, exemtionum, & communis sententia prudentum virorum non sufficiat ad probanda Veneficorum opera; quænam major, & efficacior, probatio desiderari possit? Hactenus Codronchus.

Ronssei testimonia & argumenta pro Magia adstruenda.

Idem edecumato *testimonio confirmat* Vir eruditè doctus Balduin. Ronsseus *Epistol. Medic.* 51. quando præter omnem, ait, rationem censent multi, dicere, Veneficarum maleficia, præter imaginamenta quædam, ac Dœmonis præstigias, quibus hominum mentes, atque oculos, effascinent, nihil esse; quandoquidem verosimile prorsus sit, & rationi consentaneum, in tot tamque celebribus Magistratûs consessibus aliquos saltem fore, quibus verum illud lumen, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, illucescens, has mille artificis artes detegeret; & quamvis certum sit, Deum, propter hominum incredulitatem, interdum Dœmonibus nonnulla permittere, & nonnunquam etiam ad multa connivere; putandum tamen minimè erit, quin ex tam variis, qui Magistratu fungerentur, aliqui sint, qui constanti & intemeratâ fide Deo adhærentes, Dœmonum hujuscemodi præstigiis ac dolis non illudantur; adeo ut verosimile prorsus sit, *Lamias*, Deo permittente, *in corpora nostra agere* quodammodo *posse*.

Sagas hominibus nocere posse.

Objectio Cartesianorum contra Magiam.

Hæc argumentorum fulmina etsi sufficientissima esse, & aliud sentientium rationes funditùs prosternere, videri queant, tamen non desunt, qui ex Cartesianis principiis *objicere*

jicere audent, ſenſus falli, adeoque fieri poſſe, ut homines, qui, ſe aliis hominibus quodcunque damnum aut morbum intuliſſe, putant, revera tale quid non intulerint, hoc eſt, illud facinus revera non patraverint, quod ſe patraſſe ex falſa errantis phantaſiæ læſione putant, ſimul ac palam fatentur, atque hinc *nec ipſam confeſſionem*, ad convincendos eos, qui de Veneficio incuſantur, *ſufficere*; haud multò ſeciùs, ac delirio laborantes, menteque capti ſæpè ſæpiùs aſſeverent, ſe aliquid feciſſe, quod tamen revera nunquam fecerint. *Senſus falli.* *Sagarum confeſſiones non ſufficere.*

At enim verò fallant ſenſus hunc vel illum hominem in ſingulari, ita ut opinetur, ſe patraſſe facinus, quod tamen revera non patravit; fallantne etiam ſimul *multos in plurali? fallantne etiam alios*, qui, Veneficam hoc patraſſe, & viderunt, & audiverunt? verbi gratiâ, Saga inſontem maritum, factâ maleficâ inunctione, ex lecto proreptum, ad conventus diabolicos unà transportavit, ſed qui, miratus geſtarum rerum locique inſolentiam, invocato divino Numine, diabolicam turbam omnem fugavit; quo facto, ipſe nudus aſtitit, hacque ſpecie domum verſus rediit, quâ à pluribus hominibus in via conſpectus eſt, quibus totam rei hiſtoriam, quam fuſiùs deſcriptam legiſſe memini, narravit. Jam quamvis Virum hunc ſenſus fallere potuiſſent, ut putaverit, ſe vidiſſe, quod tamen revera non exſtitit; aſt nudum redeuntem multi alii viderunt homines; ergone credibile ſit, eos *omnes fefelliſſe ſenſus?* Similia exempla haud pauca in medium proferre, iisque Veneficiorum veritatem aſſerere liceret, ſi prolixioribus nobis eſſe liberet. *Reſpondetur Carteſianorum objectioni.* *Senſus plures non fallunt.* *Exemplum pro Magia.* *Senſus non fallunt.*

Et quid multis? Si Satanas, Deo permittente, homini damnum & morbos inferre poteſt, uti id poſſe, à plerisque conceditur; cur non *idem* etiam poſſit *per ſceleſtos homines, & mancipia ſua*, ceu inſtrumenta? cùm nunquam quicquam, *niſi per media*, efficere poſſit ac ſoleat. *Diabolus per Sagas hominibus nocet.* *Non niſi per media nocet.*

Imò ſi vel maximè concedatur, Sagas neque morbos inferre, neque abſurdas, monſtroſasve res in corpus homi-

nis immittere posse, merasque præstigias atque illusiones Cacodœmonis esse, qui adspectantium oculos ita obfuscare, ac fascinare, sciat, ut putent, se videre, quod tamen non est, nec minùs ipsarum Sagarum mentes ita dementet, atque corrumpat, ut ipsæmet constanter sibi persuadeant, & palam fateantur, se, factæ cum Diabolo pactionis virtute, id fecisse mali, idque intulisse morbi, quod nec fecerunt, nec intulerunt unquam; interea autem *nonne hoc satis sit incanmenti*, vel certè minimùm, *fascini?* &, ut hoc obiter inseramus, nonne vel propterea sacri hujusmodi *homines meritas pœnas luant?* quibus tamen alii innocenter eos damnari, censent.

Incantamenta dari, probatur novo argumento.

Sagæ meritò pœnas luunt.

Sed properandum nobis est ad alteram expediendam sententiam eorum, qui *Incantationi nimium tribuunt*, majoremque, quam decet, fidem habent. Hi credulitate laborant, & in excessu peccare videntur. Non enim omnia credenda, quæ simplices homines narrant, quippe qui facilè sibi imponi patiuntur; sedulò *excutiendæ omnes* omninò *circumstantiæ*, probèque perpendendæ; quin & sollicitâ circumspectione perquirendum, accuratâque rationis lance ponderandum, quid, quantumque veri insit rebus, vel esse possit, quæ sensibus nostris offeruntur; nec prius assensus præbendus, quàm ubi, quæ referuntur, cum sanâ ratione convenire, perspectum habuerimus, ne facilè credendo, juxta vulgatum dicterium, facilè decipiamur. Sic inter morbos nullum prorsus ad Incantationem accensere decet, etiamsi sit abstrusissimus, & insolentissimis symptomatibus stipatus, nisi eum ex *naturalibus*, vel potiùs *præternaturalibus causis deducere*, nullo modo licuerit, adeoque omnem naturalium causarum potestatem transgredi ac superare deprehenderimus: tunc enim demum de supernaturalibus seu transnaturalibus cogitandum; aliàs socordis & simplicis ingenii indicium esset, ad supernaturalia fugere velle, ubi naturalia suppetunt.

Altera sententia nimium tribuentium Incantationi.

Circumstantiæ omnes ponderandæ.

In causas accuratè inquirendum.

Neque

Neque etiam convenit, si Petrus & Paulus hujus vel illius effectûs rationem ex naturalibus principiis reddere nequiverit, mox præcipitanter ad supernaturales causas dilabi, sed necesse est, ut *ingeniosiores* etiam, & quidem *plures, super una re consulantur*; quibus in casibus multoties peccari videtur. Nam quæ hæc consequentiæ ratio? Petrus & Paulus nesciunt, hujus effectûs naturales causas reddere; ergo nullæ prorsus subsunt? ideone statim effectum illum à supernaturalibus dependere causis exclamandum? fortassis acutiores scient, quæ tu, à nemine sciri posse, putaveris. Suspendenda ergo potiùs judicia, & fatendum, plurima esse, quæ nescimus.

Ingeniosi, & plures.

Nescimus sæpè sæpiùs veras atque genuinas *symptomatum*, ceu effectuum, occultiores in humano corpore, velut profundo puteo, latentes *causas*, quas si unus vel alter eruere nesciverit, scient fortassis alii, quibus è meliori luto finxit præcordia Titan.

Causæ symptomatum sæpè ignotæ.

Jam certè de *Morbis Magicis, modoque*, quo illi fiant, adeo res intricata & *abstrusa* est, ut jam dudum sagacissimorum simul ac celebratissimæ eruditionis Virorum ingenia vehementer exercuerit. Neque tamen propterea fas æquumque est, *monstrosioribus in casibus*, saltu superatis ordinariis causis, citatiori cursu *ad Incantationem ruere*; id quod omnium frequentissimè à simplicibus fæmellis, & vulgi credulâ plebe, fieri assolet, quippe quibus Incantationis vox creberrimè in ore est; ut proinde tale hominum genus Anton. Prætorius Germanicâ suâ *Instruct. de Veneficiis & Veneficis c. 9. p. 58.* non immeritò his Latinè redditis atque sic penè sonantibus verbis, hujus gratiâ, increpet, quando, eo, inquit, proh dolor! res devenit, ut, ubi oculi caligant, tormina ventris infestant, digiti exulcerationem incurrunt, pedes intumescunt, cor colliquescit, anima efflatur, aut pecora contabescunt, paralytica fiunt, concidunt, & emoriuntur, ilicò nemo non exclamet, non rectè se hæc habere, & Vene-

Morbi Magici abstrusi.

Insolentiores Casus non statim ad Incantationem referendi.

ficium

ficium ad internecionem concurrere: malum ab eſu provenire, aut à propinato potu. Hîc à longinquo cauſa derivatur, & in memoriam deſcenditur, ubi locorum fuerimus, quis cibum potumve exhibuerit, quis aſſederit, quis tetigerit, & quæ ſunt his ſimilia. Nunc hic in ſuſpicionem venit, nunc ille: hîc clanculùm muſſitatur, ibi palam dicitur: hic vel ille hoc malum intulit. Ita dolor dolore geminatur, & calamitas multiplicatur. Sic exceſſu peccatur, injuria fit inſontibus, & frivolè agitur. Experti Medici atque Phyſici requiruntur, qui morbos à Veneficiis dependentes dignoſcant, & ab aliis diſtinguant. Hæc ille.

Sanè hujus farinæ homines vel ignavam credulitatem ſuam, vel turpem ſocordiam, vel manifeſtam ingenii hebetudinem, miſerè produnt, quòd neſciant, quid diſtent æra luminis, Incantationi, adeoque extraordinariis cauſis, tribuentes, quod non niſi ordinariis debetur. Sciant potiùs, nonnunquam monſtra in Medicina fieri, & morbos quosdam apparenter duntaxat eſſe ſupernaturales.

Morbi omnes à Dæmoniis. Adhuc graviorem errat errorem Sophron. Kozack, qui in *Dedicat. Tractat. de Hæmorrhag.* contendere, non erubeſcit, omnes in univerſum morbos â Dœmoniis excitari, illaque entia, quæ nos morbos, vel morborum cauſas, in homine nominamus, revera eſſe ſubſtantias, ſpiritus infernales, atque Dœmonia.

Cautiùs contrà alii præterea agunt docti quidam Viri, & rectiùs judicant, qui ſaniori mente agnoſcunt, magnam *Incantationi nimium fidentes.* hominum partem *Incantationi nimium fidere*, & ſupernaturalia haud raró ſine neceſſitate quærere, ubi merè naturalia ſubſunt, idque pro indies magis magisque increbreſcente apud nos malâ conſuetudine, quâ non ſolùm vulgus, ſed etiam qui ſupra eum ſapere, ſibi videntur, ſive gravior paulò & aſtruſior morbus ingraveſcat, ſive longiùs duret, convenientia remedia negligunt, & nec cœlum, nec caſtigantem irati Numinis manum reſpiciunt, ſed in Dœmonem

nem & Incantationes omnem culpam transferunt; quam in rem appositè Thom. Willis *de Morb. Convulsiv. p. m.* 100. *affectiones*, inquit, *convulsivas* interdum *à Veneficio excitari*, & vulgò creditur, & à multis fide dignis Authoribus passim asseritur: & quidem ut concedamus, admiranda in corpore humano pathemata à Diaboli præstigiis sæpenumero produci, quatenus nimirum iste, pro mira, quâ pollet, agendi subtilitate, animæ sensitivæ, sive, spirituum animalium systasi, atomos, sive, corpuscula heterogenea, insinuat, adeoque functionibus ejus modò stimulos addit, modò vincula injicit, modò eos in perversum rapit: quin etiam aliquo modo ipse corpus humanum subit, & quasi altera anima potentior ei coextenditur; singulas partes & membra actuat, vigore insolito inspirat, ac pro lubitu suo regit, & ad facinora immania & supernaturalia perpetranda incitat: attamen omnia spasmorum genera, quæ præter communem istius morbi morem, prodigiosa apparent, non statim Sagarum Incantamentis adscribi debent, aut Dœmon ἀπὸ μηχανῆς semper in scenam vocandus. Enimverò quoties è potentioribus cuipiam viro natus, aut affinis, spasmis fortè atrocioribus & insolitis corripitur, plerumque fit, ut Vetula mox proxima Veneficii accusetur, rea peragatur, laqueumque, aut flammas vix, ac ne vix quidem, misera evadat; cùm interim morbus à causis merè naturalibus procedens, non alio exorcismo, quàm remediis contra affectiones convulsivas præscribi solitis, facilè curetur.

Convulsiones rariore à Veneficio excitari Vulgò malè creditur.

Id quod idem Anglicus Celeberrimus Author aliquot egregiis Observationibus in suo *de Morb. Convulsiv.* aureo *Tractat.* passim occurrentibus luculenter confirmat; quibus consimiles Casus, (non minùs probantes, sæpè videri, morbum aliquem dependere à causis supernaturalibus, qui tamen revera nonnisi naturalibus originem debeat,) pro majori illustratione ex aliis Authoribus erutas addere juvabit;

Casus singulares Morbos Magicos mentientes.

*** quos

quos inter illustre huc apprimè faciens exemplum habet Thom. Reinesius *Epistol. ad Nesteros* 39. quod in compendium contractum his referimus verbis: Catharina Geisleria, Ancilla rusticana, è Pago Kursdorf, Districtûs Waldenburgensis, annos circiter 30. nata, post perpessos varios in abdomine dolores lancinatorios, insolentesque motus, & inflationes *anno* 1647. *d.* 26. *Junii* evomuit *Bufones duos majores*, (quorum major pependit unciam dimidiam cum dimidia drachma) quatuorque minimos magnitudine fuci majoris, nec non *Lacertas duas exiguas*, auricularis digiti magnitudine, aut crassitie calami scriptorii, quæ animalia omnia viva erat. Rejecit præterea per alvum successivè ingentem, triginta nempe circiter mensurarum, copiam *Sordium*, visu & odore peregrinarum, *viridium*, *luridarum*, *maculosarum*, viscidarumque, & fœtidissimarum; puncticulis lucentibus velut oculis interstinctâ unà cum massâ albâ è luteo fibrosâ, corruptâ, fœtidâ. Quin & *d.* 12. *Jul.* cùm ad mictum urgeretur, iterum eliminavit adhuc *majorem mortuum Bufonem* pondere unciæ unius, cum drachmis tribus, itemque duos minores vivos, quos omnes *è pudendis prodiisse*, ferebat. Deinde *d.* 29. *Mart.* post tormina atrocia tres *Lacertulas*, & *Ranam* muco plurimo involutam, eamque *vivam*, subinde in aquis suis coaxantem, &, effusis iis, in tina saltantem, excrevit; aliasque duas itidem *vivas majores*, & quidem *virides d.* 4. *April.* evomuit, atque paulò pòst nempe *d.* 11. *April.* denuo *Bufonem grandem*, turgidum, cum acutissimis unguiculis, sed mortuum, alvo exclusit.

Casus mirabilis à Reinesio notatus non ex Veneficio.

Bufones duo vomitu excreti.

Lacertæ duæ vomitu excretæ.

Sordes mirabiles per alvum excretæ.

Bufones è pudendis excreti.

Varia vomitu excreta.

Judicia de hoc Casu non Magico.

De mirabili hoc Casu, nullum est dubium, quin varia à variis ingeniis lata sint judicia, & inter illa, de Veneficio quoque inciderit suspicio, maximè, cùm infelix Fæmina non solùm, sed & ejus soror, palam edixerint, feras illas ex utero, ceu viâ insolitissimâ, exclusas esse; sed quam opini-

opinionem Doctiſſimus Reineſius, non nimium procul dubio fallaci Incantationis momento fidens, eo mox redarguit, quòd menſium fluxus nunquamnon rectiſſimè, ut ipſa faſſa eſt, proceſſerit, adeoque naturaliter uterus fuerit conſtitutus; quo veroſimile minimè videatur, in eo tam monſtroſas feras geſtatas, fotas, alitasque fuiſſe; quin potiùs in ea, & quidem ſaniori, eſt ſententiâ, omnia illa animalcula in Ancillæ corpore à ſeminario eorum cum aquis corruptis hauſto prognata eſſe; quod creditu eo faciliùs eſt, cùm ipſa retulerit, ſe aliquandiu, urgente neceſſitate, in prato ſuper fœni cumulum cubuiſſe, & inde ex proximis lacunis atque ſtagnis, impellente ſiti, manu hauſtam ſatis impuram aquam aliquoties bibiſſe. Quibus jam cognitis, nonne turpiter credulus, & intempeſtivus Incantationis favitor, dicendus ſit, qui malit ex ſuper-aut trans-naturalibus, quàm ex adductis rationi conſonis cauſis, illam inſectorum excretionem deducere, idque eò lubentiùs, quò notius eſt, tale quid ſæpiùs contigiſſe.

Ita Paul. de Sorbait quoque *Ephemer. Academ. Nat. Cur. Germ. Ann. II. obſ.* 103. obſervavit, Vinicolam poſt ingentem frigidæ & cœnoſæ aquæ hauſtum incidiſſe in Bronchocelen, & poſtea ex abſceſſu inde facto exiviſſe *Bufonem vivum*; cujus ſtupendi effectûs cauſam tantum abeſt, ut rejiciat in Incantationem, ut potiùs nullam aliam agnoſcat, quàm ſeminalem virtutem cum aqua ad colli membranas delatam. Et. Petr. Borellus *Cent.* II. *obſ.* 86. Mercatorem caſtrenſem fuiſſe, refert, ex cujus abſceſſu in femore oborto, opeque cauteriorum aperto, unà cum copioſo pure *Pili, Globuli, Piſa, & Ranulæ* proruperint, atque has omnes abſurdas res *non Magicè*, ſed *naturaliter*, fuiſſe eductas, conceptis verbis aſſerit. Idem ſentit Cabrolius *Obſ. Anatom.* 27. ubi notat, ex abſceſſu cujusdam Pilos, Ungues, Caſta-

Bufo vivus abſceſſu excretus non Magicè.

Pili, Globuli, Piſa, Ranulæ, ex abſceſſu non Magicè.

Pili, Ungues, Caſtanea, & Animalia viva ex abſceſſu non Magicè excreta.

Caſta-

Castaneas, & Animalcula viva, aliaque mira, aliquando prodiisse, Incantationis nullam prorsus faciens mentionem. Nec *Molarum volatilium* causam, utut admodum abditam, Thom. Bartholinus *Act. Hafniens. obs.* 27. ad Incantationem refert, sed monstrorum numero unicè eas accenset.

Molæ volatiles.

Atque tales mirabilium in corpore humano prognatarum, & ex eo, per diversas vias, excretarum rerum rariores observationes plures studiosè collectas vide sis *Ephemer. Acad. Nat. Cur. Germ. Dec. II. Ann. VIII. obs.* 157. itemque apud Joh. Hellwigium *Observ. Physic. Medic.* 80. & 92. cum *Scholiis* Schröck. quarum omnium productio non Veneficio aut Incantationi, credulæ plebis more, adscribitur, sed vel singulari alimentorum fortè inquinatorum, ingestorumque, atque inde natorum humorum corruptioni, ac putrefactioni, vel virtuti seminali cum aqua, aut alio potûs genere, aliisque eduliis, in Ventriculum & corpus hominis demissæ, imputatur, ubi fœcunda animalculorum istorum ovula à blando hominis calore foveri, excitari, atque suo tempore ad debitam expansionem & augmentationem provehi potuisse, putatur; vel denique prorumpunt haud rarò hujusmodi animalia ex hominis aliqua caverna, quòd eam antè casu fuerint ingressa, aut quovis modo subierint; quemadmodum illam Justinam Michaelis Schüppelii Uxorem Christ. Frider. Garmannus *Epherid. loc. cit.* non aliâ ex causa *vivum Murem vomitu rejecisse*, plausibili ratione suspicatur, quàm quòd in dormientis apertum os antè irrepserit, in Ventriculum descenderit, indeque postea iterum fuerit eructata.

Mirabilia in corpore humano genita, & ex eo excreta non ob Veneficium, sed ex p. n. causis.

Mus vivus vomitu excretus.

Talia præter hactenus in medium adducta, & proximè citatis locis copioso numero allegata, exempla, si cui parallela plura videre libet, licet evolvere Matth. Moroni *Director. Medic. Practic.* à Sebastian. Scheffero auct. *p. m.* 146. seqq. & 473. seqq. Joh. Georg. Waltheri *Sylv. Med. p. m.* 1420.

m. 1420. *Indic. general. Decur. I. & II. Ephemer. Germ. tit. Excreta, Excretio, Vomitu rejecta animal.* & quos hi Collectores omiſère, Thom. Bartholin. *Act. Med. Haffniens. Vol. II. obs.* 39. *Vol. III. obs.* 72. & *Vol. IV. obs.* 46. ubi indigitantur innumera ferè loca, quibus conſimiles caſus deſcriptos invenies.

Idem judicium eſto de omnibus aliis *inſolentioribus Morbis*, quos ſi quis ideo ex *Veneficio illatos* aſſerere vellet, quòd eorum *cauſæ profundiùs* lateant, is certè non injuriâ vapularet, &, vel nimiam credulitatem, vel inſubidam præcipitantiam, vel marcidam mentis hebetudinem, turpiter proderet. Cautiùs profectò, & ex Arte rectiùs, agunt multi alii veteres non minùs, quàm plerique recentiores, & inter hos præ cæteris hîc loci nominandus Frider. Hoffmannus, illud Hallenſis Univerſitatis præcipuum Ornamentum, dum rariſſimum illum, in *Diſſertat. Epiſtolar.* ad Excell. D. Wedelium, enodatum Affectum, indagatis acerrimo judicio Phyſicis cauſis, pro Cataleptico agnoſcit, quem alii, ad abſtruſiores effectus magis caligantes, cœco impetu ex Veneficio derivare mallent.

Non omnes in hoc opusculo deſcripti Caſus Magici ſunt.

Quid? quòd fateri neceſſe ſit, in hoc ipſo *Opuſculo haud paucos* (nec ipſo primo excluſo) occurrere *Caſus*, de quibus adhuc valdè *dubitandum, an ad Incantationem referri* ſuo merito *debeant?* an potiùs à communibus, hoc eſt, præternaturalibus, licèt latentioribus, nec cuivis patentibus, cauſis originem traxerint? Sed quos nihilominùs ab Incantatione ortorum Morborum cenſui eam ſaltim ob cauſam annumerare voluimus, quòd ab iis, qui eos Scriptis exhibuerunt, eò referantur; non verò quòd idem de illis nos quoque ſentiamus, probè gnari, haud raròtum demum judicii lapſum deprehendi, ubi omnes circumſtantiæ, rerumque cauſæ, cum effectis, exactiori rationis lance perpenſæ fuerint & excuſſæ.

Sed quorsum ruimus? Quò tandem tendit longior hic noster sermo? Ut paucis nos expediamus: scopus noster his hactenus in medium allatis eò tantùm collimat, ut evincamus, *non omnes abstrusiores effectus*, aut *rariùs contingentes p. n. corporis humani affectus*, statim *Incantationi* imputandos esse; tametsi contrà rursus nullos omnino Morbos à Veneficiis dependere, neutiquam liceat statuere. Ut proinde quod acutissimus Petr. Gassensus *Lib.* 1. *de Vita Peireskii p. m.* 12. de infantilibus ab Incantatione oriundis morbis pronuntiat, idem nos de aliis quoque adultiori ætati communibus, atq; indidem provenientibus, optimo jure intelligi posse, censeamus, quando laudatissimus Author largitur quidem, anum maleficam conclave ingredientem per Fascinum matri vocem, & infanti bimestri ploratum, ademisse, nec minùs utrique caput in alterum humerum ita depressisse, ut propter eam rigiditatem flecti non posset; ast mox subnectit: utcunque optimus Deus innocentes infantulos malitiæ Cacodœmonum permittere possit; utcunque ipsi ad ea officia, & ad obsequendum misellis quibusdam aniculis se comparent; compertum est tamen, magnam eorum partem, quæ commemorantur, fabulosam esse, aut non alio certè niti fundamento, quàm minùs solitis quorundam morborum symptomatibus, quibus sunt infantes obnoxii. Et his ipsis verbis alterius de Morbis Magicis sententiæ Membrum, in quod breviter usque huc inquisivimus, obfirmare atque finire placet.

Tertia sententia circa Morbos Magicos.

Restat ergo solum *tertium Membrum*, quod uti excellentiâ priora duo longè superat, ita tantò curatiùs pertractari debet. Quemadmodum enim, qui prius sustinent, defectu, & qui alterum, excessu, peccare diximus, neque dixisse etiamnum nos pœnitet, ita tertium qui tueri satagunt, vel ideo minùs errare videntur, quòd inter illa duo medium

medium teneant, & medio nunquam non tutiſſimè eatur.

Ut autem regiam hanc viam rectè calcemus, neque ab hoc tramite facilè diſcedamus, neceſſe eſt, ut ante omnia diſpiciamus, *quomodo veri Morbi Magici ab apparenter talibus dignoſcere* liceat? Quæ verò ſunt pathognomonica illa ſigna, quæ Morbum Magicum indubitatò arguunt? Hîc ſummam certè ἀκρίβειαν ſimulac ἐυστοχίαν adhibere, nimiamq́ue credulitatem omnem exuere, oportet, nî decipi velimus.

Morbi Mag. ab apparenter talibus quomodo diſtinguendi?

Nos omnia brevi compendio, & perſpicuo, quantum poſſibile, ſtylo, ita comprehenſa exhibemus: nimirum ad Morbum verè Magicum requiritur (1.) ut *ſphæram naturalium cauſarum transſcendat*, hoc eſt, ut non ſolùm unus aut alter Phyſices ac Medicinæ ſcientiâ leviter imbutus, ſed plures etiam, iique emunctioris naris & doctiſſimi Viri neſciant, Morbum illum atque ejus ſymptomata ex naturalibus cauſis deducere, ita, ut omnes communi conſenſu fateri cogantur, Morbum illum, ejusque ſymptomata non à præternaturalibus, ſed trans-ſeu ſuper-naturalibus cauſis utique dependere. Quandocunque enim inter cauſam & cauſatum conveniens ſe offert relatio, & activa paſſivis juſto ordine atque rempore reſpondent; tunc effectus ad naturalium cauſarum virtutem referre licebit; ſin minus, tunc demum ex altioribus cauſis eos derivare oportebit: (2.) ut, quodſi excretio præternaturalium rerum ſive per Vomitum, ſive per Alvum, ſive per alias inſolitas vias, ſive denique per Ulcera, aut rupta Apoſtemata, contingat, eæ ita comparatæ ſint, ut, doctiorum judicio, *in corpore humano nullo modo potuerint ex ordinariis cauſis generari*, quo nomine veniunt omnia artificialia, ſeu arte facta, ut ſunt *Acus*, *Clavi*, *Cultri*, *Vitri & Ligni fruſta*, *Cera Hiſpanica*, *Fila linea*, *Plumbum*, & his ſimilia; hâc tamen iterum adhibi-

Morborum Magicorum Signa.

adhibitâ cautelâ, ut omnes *circumſtantiæ probè excutiantur*, *ipſaque inſpectio*, ubi licuerit, *inſtituatur*, *nec quibuslibet id narrantibus*, *ſed tantùm fide dignis*, *credatur*; ubi unà ſagaci curâ videndum, ne *per Dœmonum præſtigias*, imperceptibili ſubtilitate, aut hominum aſtutiâ, manuumque luſoriâ quâdam agilitate, aut ſceleſtâ malitiâ, hujuscemodi res fortè duntaxat *ſuppoſitæ ſint*, quo fiat, ut ex hominis corpore prodiiſſe ſaltim videantur, revera autem non prodierint; tametſi talium ludibriorum inexperta plebecula, effaſcinatis quaſi ejus oculis, ita rem ſe habuiſſe, conſtanter aſſeveret. Quin & hoc ſollicitâ circumſpectione cavendum, ne monſtroſas ab homine foràs alicubi protruſas res, per Veneficium antehac injectas, jam demùm excerni, exiſtimemus, quæ tamen naturali motu priùs vel irrepſerunt, vel illapſæ ſunt, vel quovis modo humanam machinam ſubierunt; prout talia exempla paſſim reperire eſt.

Hæc duo præcipua Morbum ex Veneficio ortum denotantia phœnomena ſunt, & ſola inter pathognomica, ſi quæ dantur, ſigna maximè numeranda. Quibus tamen alia non immeritò accenſenda, ſed quæ minoris ponderis habentur, cùm nonnullis aliis abſtruſioribus quoque p. n. affectibus interdum competant; & quidem primò ſi Morbus *derepentè*, *ſine ulla manifeſta præviâ causâ*, *ingruerit*, atque mox ab ipſa invaſione adeo *inuſitatis ſymptomatibus* fuerit *ſtipatus*, ut vix quisquam Medicorum ea antehac annotaverit: deinde *ſi Morbus probatiſſima etiam aliàs remedia eludat*, ſubinde ingraveſcat, ſolito diutiùs duret, & ægrum prorſus inuſitato modo conficiat; & tertiò ſi æger, & quidem adultus, accedente eo homine, qui Veneficium intulerit, extemplò pejus habeat, præ metu contremiſcat, & quaſi adverſantem hoſtem ſentiat; infans verò ilicò ploret, &, inſolito corporis habitu induto, ſummâ inquietudine excrucietur.

Signa ſecundaria Morborum Magicorum.

Ast hæc, inquam, indicia fallacia sunt, quibus propterea solis nunquam tutò fidendum, non tamen penitùs susque deque habenda, cum aliis certioribus ubi concurrerint. Fallaciora adhuc & infida magis illa censenda, quibus occultum Veneficium, secundum nonnullorum credulorum opinionem, subodorari ac deprehendere liceat, quando volunt, ut is, qui se fascinatum putat, *urinam emittat in ollam cinere subtilissimo* ad medietatem usque *repletam*, atque eam dein cooperculo probè obturatam servet tali in loco, quo suâ sponte cinis cum urina exarescere queat, rati, quòd, si tunc post breve temporis spatium in *cinere illo pili* aut *alia quædam absurda*, quæ priùs in eo non delituerunt, reperiantur, *de Veneficio non amplius sit dubitandum*. Alii jubent, ut *æger*, qui de Magico morbo conjecturam concepit, *Decocto Verbenæ abluatur*, spe, fore, ut, *si* paulo pòst *illius color non immutetur*, nec quicquam peregrini in eo inveniatur, salva res *nihilque Incantationis præstò sit*. Quodsi verò Decoctum istud magnâ *pilorum*, imprimis propriorum copiâ, scateat, *Veneficii signum* iis prodi, contendunt, eoque vel gravioris, vel mitioris, quò plures, vel pauciores, pili in Decocto reperiantur. At enim verò cùm nulla naturalis ratio dari possit, quâ Cineris aut Verbenæ vi pili generari, ac produci, aut ex hominis corpore elici, queant, hoc experimento periculum facere, non suaderem, veritus, ne malus Genius huic demum superstitioso operi se immiscens, atque ampliùs nocendi occasionem captans, simplicibus hominibus magis magisque impositurus, & sic novum ludibrium objecturus esset.

Signa alia Morborum Magicorum minùs tuta.

Ratio falsitatis horum signorum.

Signa specialium Morborum Magicorum.

Quare, missis his atque similibus nugis, ad specialia indicia nos accingimus, quibus nempe singulariter rescire liceat, *an vehementiores* juxta ac *insolentiores illi corporis Motus*, quibus homines nonnunquam tentantur, itemque

Signa Motuum transnaturalium.

quæ *ablata Potentia ad Venerem, à præternaturalibus, an verò à trans-vel super-naturalibus causis dependeat?* quippe qui duo p. n. affectus Veneficium frequentiùs mentiri *solent*, quorum illos *à præternaturalibus causis dependentes Motus ab iis, qui Incantationi originem debent*, nemo meliùs distinguit Thomâ Willisio. Ita autem ille *de Morb. Convuls. cap. 7. p. m.* 101. si, inquit, in cujusquam laborantis casu, Veneficii aut Fascinationis suspicio exoriatur, duo sunt imprimis motuum genera, quæ hanc creare & fovere solent, scilicet primò *si patiens ejusmodi membrorum, aut totius corporis, contorsiones, aut gesticulationes, perficiat, quas nemo sanus, ne quidem mimus, aut gesticulator quispiam, imitari solet*, dein secundò, *si robur exerat, quod vim omnem humanam superat*; tunc extra dubium ponitur, in hac tragœdia Diabolum partes suas habere & agere.

Impotentia Magica signa. *Impotentia verò Venerea* per Ligaturas aut Serræ, inter copulationem sacerdotalem, factam clausuram, aliasve diabolicas Artes illata, ab ea, quæ ab ordinariis causis processit, hôc potissimùm differt, quòd illâ ratione affecti seu maleficiati *in Venereo bello aliàs satis fortes, nunc subitò, simulque & semel, sine ulla naturali prægressâ causa, virilem potentiam amittant*, suoque genio ita defraudentur, ut, mortuâ quasi & funeratâ Veneri aptâ parte, uxoribus suis, etiamsi eas impensè anteà amarint, tamen conjugale debitum persolvere nequeant, maximè si in alias fœminas potenti amore adhuc propendeant; quo plerumque fit, ut, quod consectarium est, uxor maritum, & hic illam, profligato omni mutuo amore, aversetur, & odio habeat. Hæc si animadvertantur, nullum ampliùs dubium est, quin diabolici quid concurrat; sin minùs, ordinariis causis effectum illum adscribere, præstabit.

Amoris insani Mag. signa. Cæterorum specialium Casuum phoenomena, ut fortean sunt, *Amor insanus*, non quidem imaginario philtro,

sed

ſed potiùs diabolicâ Arte incenſus, itemque *Macies Puerorum* ex Faſcino affricta, aliique p. n. Affectus à Veneficio illati, haurire licebit ex paulò ſuprà in medium à nobis adductis ſignis, eò maximam partem ſummatim collimantibus, ut Morbus, quem ex Veneficio deducere volueris, ita comparatus ſit, ut *naturalium cauſarum ſphæram ſuperet.* *Maciei puerorum Magicæ ſigna.*

Reliquum eſt, ut in *Obſeſſorum* ſeu *Energumenorum phoenomena*, (cum quibus ſcilicet non ſolùm Magicorum, ſed etiam communium Morborum ſymptomata ſimiliter haud rarò aliquid commercii habere videntur,) inquiramus, quâque ratione inter ſe diſcrepent, brevibus patefaciamus. Id quod commodùm fiet, ſi illa dilucidè exhibuerimus, ne à regiâ via cum periculo deflectamus Habentur autem diabolicè *Obſeſſorum* ſeu Energumenorum hæc potiſſimùm *ſigna*, & quidem tam *quoad animum*, quàm *quoad corpus*, hoc eſt, ſi, quoad animum, peregrinis linguis loquantur, quas anteà nunquam calluerunt; ſi alios peregrinis linguis loguentes intelligant, quas aliàs non intellexerunt; ſi ultra ordinarium captum ſapiant; ſi de maximè arduis rebus rudes alioquin doctiſſimè ſimul ac prudentiſſimè diſſerant; ſi futura præſagiant; ſi præterita, eaque ſecretiſſima conſilia ſciant; ſi eruditiſſima poemata pangant, & artificioſo ordine recitent; ſi aſſidentium arcana vel delicta propalent; ſi à divino cultu ita abhorreant, ut ſacra verba neque audire, neque proferre, queant; & quæ ſunt his ſimilia. *Obſeſſorum ſigna.*

Quoad corpus, *Dœmoniacos* deprehendere licet, quando tanto virium robore gaudent, ut eo tres quatuorve robuſtiſſimos viros excellant; capita ſua muris validiſſimè allidunt; eliſi pecorum inſtar ſe volutant humi; dentibus terribiliter ſtrident; ore ſpumam inſolenter emit- *Dæmoniacorum ſigna corporalia.*

emittunt; linguam horribili oris hiatu exerunt, inque proximum ignem aut aquam spontè se dant præcipites; & haud rarò insimul gravissimis ac prorsus incurabilibus affectibus p. n. laborant.

Energumenorum alia signa. *Obsessi rosarum odorem abhorrent, & cur?* *Itemque fœtida.*

His accensent alii alia quædam τεκμήρια, ut: quòd malo acti genio rosarum odorem tanto abominentur opere, ut nullo modo cogi queant, ut juxta rosarium saltim deambulent; nec tamen contrà malè olentia, ut: laserpitium, sulphuris fumum, aliaque fœtida, æquiùs ferunt; cujus rei rationem vide sis hoc ipso Opusculo *Cas. III. p.* 36. nec non apud Codronch. *de Morb. Venef. L.* 4. *c.* 6. Ut ne quid dicamus de reliquis Obsessionis phoenomenis; sed quibus recensendis eò lubentiùs supersedemus, quò magis pleraque meram redolent superstitionem, videnda tamen, si cui volupe fuerit, apud eundem Codronch. *loc. cit. L.* 3. *c.* 13. quo vix quisquam alius fusiùs ea describit. Quid? quòd Joh. Christian Frommann. *de Fascinat. L.* 3. *P.* 8. *Sect.* 1. *c.* 2. non vereatur, asserere, *signa obsessionis corporalis* propria & infallibilia, quæ omni, soli, & semper, competant, *nulla dari*; quæ autem ab Authoribus proferuntur, probabilia saltem esse, & incerta, aut vana, & superstitiosa.

Obsessionis signa corporalia incerta.

Obsessionis signa vera.

At enim verò quòd si v. g. contingat, ut homo *ignotos*, & nunquam antea à se visos, *proprio nomine compellat*, illisque de parentibus & consanguineis, nec non de gentilitiis insignibus, ac si familiariter cum illis diu versatus fuisset (quod & sibi ipsi accidisse refert Camerarius *Horar. subcisiv. Cent.* 1. *obs.* 70.) facundè referat, *futura* item *præsagiat*, &, quæ *dissitissimis à se locis fiunt*, *sciat*, atque enarret, aliaque similia insolita & mira proferat, simul ac faciat; quis tali in casu de Obsessione dubitet? Vel si quis hominum *Gallicâ*, *Latinâ*, aliâve Linguâ

rogan-

roganti eâdem *respondeat*, tametsi ejus antea nunquam nequicquam gnarus fuerit, atque unà *tantarum virium robore polleat, ut vix à quatuor robustissimis viris retineri queat*; quale quid Joh. Ludov. Hannemannum Buxtehutæ anno Christi 1673. d. 16. Jun. apud. Thom. Bartholin. *Act. Med. & Phil. Hafn. Vol. II. obs. 8.* in Milite præsidiario annos 18. nato, observasse legitur; nonne de obsessione Dœmoniacâ satis certam hariolationem exinde haurire liceat? Vel denique si *rudis rusticus de æternitate mundi, & cœlorum motu, eruditè disserat*, atque insimul integram ex Timæo paginam memoriter recitet; qualis casus *loc. cit.* ab eodem Bartholin. notatur; annon magna hæc indicia Genii superioris censenda sint? Alia his similia, datâ operâ, ut prætereain exempla, qualia cùm in sacris Literis, tum etiam apud profanos Authores, plura occurrunt, imprimis Hieron. Jordan. *de Divin. in Morb.* passim, & apud Joh. Fernelium *de Abdit. Rer. Caus. L. 2. c. 16.* aliosque.

Atque hæc omnia ab ipso Procemii hujus initio usque huc in medium à nobis prolata quisquis attentiùs consideraverit, ac diligenter invicem contulerit, profectò non impinget, doctus, non solùm *Morbum Magicum à communi accuratè distinguere*, verùm etiam *cavere, ne vel nihil, vel nimium, Morbis ab Incantatione tribuat*, sed inter utrumque extremum, *medium, ceu tutissimum, salutari studio amplectatur*. Ita namque omnino est, circa Morbos, Incantationi qui vulgò imputari assolent,

Epiphonema.

Morbum Magicum à communi distinguere.

Sententiarum summa de Morbis Magicis.

Omnia qui credit, simplex est, impius is, qui
Nil, felix, mediam qui scit inire viam:

Auctoris sententia circa Morbos Magicos.

quo solo Disticho, quod inter hæc casu ferè potiùs nobis excidit, quàm ex Arte fluxit, sententiarum de Morbis ex Veneficiis summam comprehendimus, nostrumque hactenus circa illos agitatum discursum obsignamus.

Scriptionis occasio & ratio. Nihil ergo ampliùs restat, quàm ut *Scriptionis occasionem* simul ac *rationem* paucis indicemus, idque pro more nobis aliàs etiam usitato, quippe quem in omnibus ha-*Scripta hactenus edita Auctoris.* ctenus *editis Scriptis* servare placuit, nempe & in *Commentar. de Ventositat. Spin. sævissimo Morb.* 1674. *in* 12. publicam in lucem emisso, & in *Introduct. ad Chirurgiam* ex Italica in vernaculam Linguam à nobis translatâ, cumque præfixâ, Præfationis loco, satis prolixâ *Parænesi ad Chirurgiæ Studiosos, de genuina Artem illam addiscendi Methodo, anno Christi* 1676. *in* 8. editâ, & in *Tractat. de Ort. & Occas. Transfusion. Sanguin.* 1679. *in* 8. promulgato, & in *Lindenio Renovat. de Scriptis Medd.* cum *Cynosur. Med.* atque *Vitar. Curricul. Authorum Medicor.* 1686. *in* 4. typis exscripto, & in *Zoologiâ Med.* Germanicè nuperrimè demum 1696. *in* 8. evulgatâ. Huic, inquam, non inepto, ut nobis abblandimur, mori hîc quoque insistere, visum est.

Nimirum commodùm inciderunt in manus meas *Casus primus occasio totius Operis.* *primi in hoc Opusculo contenti Casûs Schediasmata*, ab ipso Theodori Döderlini Pl. Reverendo Dn. Parente partim, partim ab Amicis successivo temporis tractu eo fine mihi transmissa, ut super stupendo illo maximèque præternaturali Affectu animi mei sensa exponerem, simul ac, si quid salutaris præsidii ad rem præsentem suppeteret, amicè communicarem; id quod etiam non solùm, pro qualicunque ingenii mei ac experientiæ modulo, lubentissimo animo feci, sed & insuper Schediasmata illa in Ephemeridem sive Diarium in-& cum-Theodoro indies actorum bonâ fide concinnata, horis succisivis, jucundo labore, quali animum à serioribus negotiis defatigatum potissimùm relaxare soleo, Latinitate donavi, spe, fore, ut ita adornatus Casus proximè prodituris Acad. Natur. Curiosor. Ephemeridibus fortassis inseri queat.

Ast

Aſt cùm, his ad finem ferè perductis, id effectum dare, non ampliùs eſſet integrum, (alias interea ſuperventas ut taceam remoras) viſum eſt, mutare conſilium, atque vicino Bibliopolæ, amiciſſimo mihi Capiti, Codiculum offerre, ut ſeorſim eum excudi curaret. Hoc autem negante, è re ſibi videri, paucas illas paginas ſolas imprimi, quin potiùs opinante, conſultum fore, ut aliæ parallelæ adjicerentur obſervationes; haud cunctanter annui, cœpique ſimiles ex variis Authoribus eruere, atque in hanc ipſam Syllogen cogere: additis quibusdam aliis ob materiæ ſimilitudinem fortaſſis non incongruis, nec ingratis futuris *Appendicibus*. Atque hinc noſtrum non noſtrum natum ſcias, Lector! qualecunque Opuſculum.

Quod porrò *Scriptionis rationem* concernit, non poſſumus non fateri, nos de noſtro ingenio nihil aut parum admodum, & de labore aliquid ſaltim, hîc ſubminiſtraſſe; cum Clariſs. Germ. Rolfinckio rati, ſatiùs eſſe, ex variis Authoribus optima quæque congerere, quàm propriæ inductriæ viribus excogitata periculosè proferre; cùm admodum anguſta ſit noſtri ingenii ſcientia, & cognitionis vena, niſi aliorum traditionibus, veluti multiplici lucernarum appoſitione, juvetur. *Scriptionis ratio.*

Caſum primum, ut diximus, cum paucis aliis, ut: XII. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XLVII. LII. (Remigii enim Dœnonolatriæ, ex qua potior citatorum horumce Caſuum pars excerpta eſt, editionem Latinam nunquam videre mihi contigit) *è Germanico in Latinum convertimus*; cœteros verò omnes ex variis Authoribus tantùm conquiſivimus, fideliter iisdem eorum verbis ſervatis; eosque ſimpliciſſimo illo, quando aliter vix licuit, diſpeſcere placuit ordine, ut, prolixioribus ferè præmiſſis, eos ſubinde ſequerentur breviores. Paulò plus autem in Mantiſſa præſtitimus, Nam etſi ſolemnem illam *Quæſtio-* *Caſus è Germanico in Latinum verſi.*

ſtionem

Quæstio solemnis. stionem ex suo, suo loco, denominato Authore solummodò exscriptam nudè huc transtulerimus; prætereaque nec in Helmont. *Tract. de Receptis Injectis: de Inject. Material. & Injaculator. Mod. Intrandi*, nec in Fischeri *Curat. Morb. Mag.* quicquam immutaverimus; contrà tamen Barthol. Carrichteri universam *Rationem, Medendi Morbis Magicis*, ab ovo usque ad mala Latinè reddidimus, idque eâ fide ac perspicuitate, quâ modò cunque licuit; ubi obsoletarum barbararumque vocum interpretatio non parum nobis facessit negotii. Et *Collectanea Secretaque Anti-Magica Myliana*, quæ manuscripta frustillatim dispersa, atque, quoad literam, adeo attrita exesaque erant, ut vix legi potuerint, non solùm *in qualemcunque ordinem redegimus*, sed etiam ex maximâ sui parte *vernacula Latinè interpretati sumus*; digna utique omnia visa, quæ, prout, nescio, quo inopinato casu, nobis oblata sunt, ceu hocce ad Opusculum benè congruentia, typorum exscriptione posteritati commendentur. Nec multum refert, scire, quis ille *Mylius* fuerit? modò Codex ipse habeat, quo se, si non omnibus, saltim fortè aliquibus, uti speramus, probaverit. Certè inter illos celebriores Medicos, qui Mylii vel Milii nomine unquam inclaruerunt, quisquis *Johannem Danielem, Vetteranum Hassum*, illum Basilicis, aliisque Medico-Chymicis editis Tractatibus notissimum Scriptorem, horum *Secretorum Authorem* dixerit, minùs dubio procul errabit, ob non leves conjecturas, & verosimilimas suspiciones.

Helmontii Tractat.

Fischeri Curatio Morbor. Magic.

Carrichteri Meth. Med. Morbis Mag Latinè versa.

Secreta Myliana digesta & Latinè reddita

Mylius quis?

Joh. Dan. Mylius.

Verus Secretorum anti-Magic. Author.

Hoc ampliùs *Marginalia* ubique, hoc est, cùm in Casibus, tum etiam in Mantissa, *legentium in gratiam*, solerter adjecimus, & omnes omnino Casus *Summariis* sive *plenioribus Titulis* diligenti curâ donavimus: attexto insuper locupletissimo *potiorum rerum Indice, Casuumque* atque *Mantissæ* præmisso *Syllabo.*

Marginalia cur addita? Summaria Casibus præfixa. Index Rerum. Syllabus Casuum & Mantissæ.

Quibus

Quibus pro necessitate præmonitis, sine ulteriori remora Præloquii filum abrumperemus, nisi unicum adhuc animadvertendum superesset, nimirum quòd primo illo Casu nostro jam ad umbonem perducto, *idem* non quidem eodem verborum numero, attamen iisdem penè rerum momentis, descriptus, tale nil quicquam ne quidem cogitanti inopinanter mihi *occurrerit in novissimo*, nempe *IV. Anno Decur. III. Ephemer. Medic. Physic. Germ. Academ. Nat. Cur. obs.* 23. Sed quam Observationem antè ego quidem, Deo & conscientiâ teste, hisce meis nunquam vidi oculis, dignam utique nihilominus reputatam, quæ propter raritatem suam etiam secundò hîc quoque exhiberetur. *Casus I. jam antè descriptus.*

Quin imò quemadmodum suavem cantionem, juxta tritum proverbium, vel ter repetere licet; ita tertiùm etiam eundem tam memorabilem Casum in scenam producere, quid vetat? siquidém hâc ipsâ demum horâ, quâ positis jam integri Opusculi typis, pertexendâ in Præfatione occupabar, ipsissimam hanc stupendam Historiam in Candidissimi pariter ac Solertissimi Rosin. Lentilii Practico imprimis juniori Utilissimis *Miscellan. Med. Practic. Tripart. Part.* 1. *pag.* 81. seqq. sed non nisi vernaculâ, & quidem ex ipsa ipsius Pl. Rever. Dn. Pastoris, Zachariæ Döderlini, descriptione exaratam, necessariis autem aliquot Annotationibus perpulchrè illustratam, præterea offendere contigerit. *Epilogus.*

Jam vale, Lector! sphalmata, quæ fortè irrepserunt, humaniter interpretare, ac corrige, &, ubi mereri, visus tibi fuero, mihi fave, vel saltim calumniari, noli, memor, *non posse primos esse omnes omni in tempore*, atque, *in secundis tertiisve consistere, etiam honestum esse.*

Iterum vale!



ANte diem MERCKLINE! vetans occumbere multos
Morbis & morti, nobilis inde viges.
Id quod & ipſe lubens agnoſco debitor auræ
Protractæ, & manui baſia jacto tuæ.
Inſuper hos jacto verſus & inutile carmen
In ſenio. Vitam Tu modò ſalvus agas.
Unde mihi quoque gaudendum. Jam gaudeo multùm.
Nam video, quâ Te parte valere volo.
Vivere nunc, validumque frui Te luminis uſu,
Scilicet hæc mundo charta legenda probat:
Ne noceant aliis, quibus artes mille nocendi,
Cantando, Sagæ, congeneresq́ue Magi.
Cum Doctis aliis etiam poſt funera vivas
Sera, precor, celebri nomine, prole, libris.

Poſt complura Specimina novum
hoc ſpectatæ Eruditionis Opus

grato aſpiciebam vultu

JOH. GABR. MAJER
P. L. C.

SYLLABUS
Casuum & Mantissæ hujus Opusculi.

Cas. I. *IN duodecenni Puero, qui varii generis cùm viva Animalia num. 250. tum varias inanimatas non solùm naturales, sed etiam factitias insolentiores Res num. 26. successivis Vomitionibus rejecit, observatus, & nunquam antè, sed nunc demum primùm, secundùm omnes circumstantias, Latino idiomate descriptus.*

II. *Qui in Medicinæ Doctore contigit, quiqúe à se ipso descriptus est, cui Saga, exbibito in jure pulvere, plus quàm ferina symptomata, & inter ea præcipuè Convulsiones atque Dolores maxillæ immanissimos, per aliquot annos perseverantes, ac prorsus incurabiles, Veneficio intulit.*

III. *In Puero novenni notatus, qui à malefica vetula, contorsione Pedis sinistri, acerbissimis Doloribus, & violentis motionibus Abdominis, nec non obmutescentiâ interpolatâ, affectus est, & tamen iterum convaluit.*

IV. *Fæminæ XXII. annorum, in cujus Cute varii characteres, itemque Rosa & Trifolium, eleganter effloruerunt, cum Acu manui atque pedi infixâ, & gravissimis symptomatibus, doctissimoqúe Judicio.*

V. *Puellæ annorum quindecim, quæ Anguillam per alvum, item Pilos, Ligni frusta, Stercus columbinum & anserinum, Carbones quoque, Atramentum, Membranas, Venas, Ossa, & copiosissimum Sanguinem, per os rejecit, inter unà perpessa stupenda symptomata.*

CAS. VI. *Puellæ novem annorum, quæ post perpessa gravissima symptomata, Motusque convulsivos corporis & abdominis stupendos, vomitu rejecit Stercus equinum, Aciculas, Plumas, Pilos, Fila, Vitri frusta, Clavos, Cultrum ferreum, Putamina ovorum, Conchilia, Straminis fasciculos, Ligulas, & quæcunque Venefica antè in corbe gestavit: deinde omnia liquida, Carnes quoque & Panem, fastidivit, solosque fructus horarios per dies* 40. *comedit: tandem etiam ab omni cibo & potu abstinuit per* 15. *dies, & tamen iterum convaluit, solâ aliquandiu remanente periodicâ Melancholiâ.*

VII. *De Puella XVIII. annorum, ex cujus licèt Mammilla sinistrâ à Saga contrectatâ, hincque admodum dolorosâ redditâ, Sanguis & Vitri longum frustum prosiluerit, nihilominus restitutâ.*

VIII. *Adolescentis XIV. annorum, qui, accepto venefico Pulvere, in insolitam Lassitudinem, ingentem Hæmorrhagiam narium, Vomitus enormes, Singultum, Convulsiones, aliaque gravissima incidit symptomata, Sanguinem etiam per Vesicam & Alvum excrevit, Pruritum capitis incurrit, toto corpore Crustis crassis ac dolorosissimis obductus est, Sanguinem præterea ex Oculis & Auribus emisit, Limacesque vivos per alvum ejecit, Pilos atque Vngues omnes amisit, omniumque oblitus est, & tamen tandem iterum convaluit.*

IX. *Puellæ, quæ, perpessis variis gravissimis Veneficio illatis symptomatibus, Ligni, Plumbi, Vitri, Fistulæ nicotianæ, Carnis crudæ & recentis, frusta, Pannum cœruleum, Amygdalas, Silices, Spinas acutas, Crines, Glebam atram, Ligulam lineam, Aciculas, Paleas, Peram coriaceam &c. vomitu rejecit, cum effusione*

ſione Sanguinis, ex Oculis, Unguibus digitorum, & Mammâ.

CAS. X. *Pueri XIV. annorum, qui ex Ulceribus Oſſicula & Spinas piſcium emiſit, atque Singultu horrendo Vngues, Pilos, Aciculas, Globulos ferreos & ſtanneos, item Ligni fruſtum certis Literis notatum, rejecit, deinde Motus convulſivos Digitorum, Ventris, & Pectoris, cum Cervicis reflexione, Oris clauſurâ, & Furore, paſſus eſt; & tamen tandem iterum convaluit. Addito Judicio de Veneficiis, de quibus dubitatur.*

XI. *Duffi, Regis Scotiæ, qui, ad ſuæ cereæ Imaginis aſſationem in veru, & ipſe Sudore immodico, Vigiliis perpetuis, & Macie, veneficâ arte, afflictus, illoque Simulacro remoto atque abolito, mox priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.*

XII. *Exhibens excretionem Vermium, varii coloris ac formæ, per Sudorem, Os, Alvum, Meatum urinarium, & Ulcera, comeſtione Ovi, per Incantationem injectorum.*

XIII. *De Virgine annorum XXVI. ex cujus Pectore, poſt varia perpeſſa graviſſima ſymptomata, Acus, & ex omnibus cutis Poris, atque Tumore, Animalcula, nec non Corium, Ungulæ item, & Pedes Avium, prodierunt.*

XIV. *De Puero annorum XIII. miras Convulſiones, Contracturam Pedum, Spinæ dorſi reflexionem, & tantùm non ipſam internecionem, cum Vermium ex Ulcuſculis excretione, ex Faſcino, paſſo.*

XV. *Concernens Puerum annorum XI. qui cum Urinâ, Calcem, Arenam, Lanam contortam, Crines, Muſcas, Pulices, Dentes ovillos, Oſſa, Sevum, Nummos, Ariſtas, Silices, Coronulas ex filo contortas, excrevit; & tamen iterum convaluit.*

CAS. XVI. *Ancillæ, ſub cujus muſculis Abdominis, poſt obitum, inſtitutâ Anatome, reperti ſunt Pili, Calx, coriacea Materia, Cranium felinum, Maxillæ Suis, Dentes canini & molares humani, Faſcinatione injecti.*

XVII. *Ancillæ, quæ, poſt varia ſymptomata, Pilos, Fila, Acus, Cultri & Ferri fruſta, Nummos æreos, Globulos, Vitri fragmenta, Ovorum putamina, Vomitu rejecit: Pactum cum Diabolo ter iniit, & cum eo inconſuetos ſermones reciprocavit: cum Quæſtione curioſa.*

XVIII. *Quo narratur, Matrem & Prolem, hauſto intoxicato lacte, illam in graviſſimum incidiſſe Delirium, cum ſubnato tumore Mammillæ, ex quo varia inſolita prodierunt; hanc verò epilepticam factam Convulſionibus obiiſſe.*

XIX. *Puellæ annorum XVI. cujus Imago cerea cum pungeretur, ipſa ſæviſſimos Dolores perſentiſcit, cum aliis graviſſimis ſymptomatibus: poſtque Crines glomeratos, Tribulos, Acus æneas, Formicas volantes, & Animal piloſum, evomuit.*

XX. *De Puella annorum XVIII. quæ muta priùs & epileptica facta, deinde per Os, Nares, & Alvum, rejecit Acus, Clavos, Ancias, Capillos complicatos, Obolos, Fibulas, Ovorum putamina, Fila, & Cultros; & tamen iterum convaluit.*

XXI. *Servi, quem Saga ex alto ita præcipitem dedit, ut inde Luxationem coxæ incurrerit.*

XXII. *Viri annorum XL. cui Catus veneficus intulit dolores Oculorum, ipſamque Cœcitatem, quam exceperunt Spinæ, Stupæ, Pili, cum Granis milii, ex oculis prodeuntes, & cui tandem aliæ Veneficæ viſum reſtituerunt.*

XXIII. *Fæminæ, quæ, perpeſſis plurimis graviſſimis ſymptomatibus, poſtea cum Urina excrevit Acus, Clavos,*

Crinium cincinnos, Fibulas, & Sacculum filo circumvolutum; additâ Curatione & Remediis singularibus.

CAS. XXIV. *Juvenis nobilis Romani, cui per Maleficium mirabili modo Potentia Venerea ablata, atque ab alio Sacrilego, iterum restituta est.*

XXV. *Viri nobilis, qui ex Fascinatione varii coloris Sericum per urinarium meatum, Lotii loco, perpetuò excrevit.*

XXVI. *Viri, desperato Morbo correpti, qui, rejectis per Os aliquot frustis Vitri, & Cincinnis, dato à Venefica consilio, iterum convaluit.*

XXVII. *Mulieris, quæ Claves fascino illatas, Vomitu rejecit.*

XXVIII. *Mulieris, quam Venefica, asperso Pulvere, fascinavit, indequè Febre, Pedum dolore, illorumquè digitorum Incurvatione, affecit, atque iterum sanavit. Cum Annotationibus notatu dignis.*

XXIX. *Viri, per integrum triennium incurabili Morbo detenti, quem Saga, ex propria confessione, primùm intulit, deinde avertere promisit, & tandem revera propulsavit.*

XXX. *Pueri, cui Venefica gravissimum Morbum intulit, &, fustibus coacta, iterum ademit.*

XXXI. *Pueruli, cujus caput dum Venefica tangit, gravem Morbum in eùm transfert, sed cui coacta certis ritibus iterum medetur; illato contrà alio Veneficio in Pecora.*

XXXII. *Viri docti, qui, enato Tumore & Punctionibus, in hypochondrio, Febrequè triennium perdurante, tandem vomitu Sanguinem nigrum, gypseam materiam, Lapillos, nec non fragmentum Cultelli scriptorii, rejecit, & à Venefica restitutus est.*

XXXIII. *Puellæ septem annorum, horrendis Insomniis, metu de Araneo noxio concepto, Incubo, Luxatione, &*

Contor-

Contorsione Artuum, per Veneficium aliquandiu vexatæ.

CAS. XXXIV. *Virginis, quæ, perpessis gravissimis symptomatibus, Vomitu rejecit Carbonem, Corticem nucis juglandis, Ceram rubram, Plumbum, Fila linea, Acum crinalem argenteam, Setas porcinas; & postea convaluit.*

XXXV. *Studiosi, qui, accepto Philtro, post perpessa varia gravissima symptomata, tandem Capillos, Ligna, Setas porcinas, Ferramenta, rejecit; & tamen iterum convaluit.*

XXXVI. *Ancillæ, quæ, post varia gravissima symptomata, tandem cum Urina excrevit Acus, Pilos, Vitri fragmenta, sex Spintheres, quinque Clavos, Sacculum lineum funiculo colligatum; & iterum convaluit.*

XXXVII. *Ancillæ, quam Dolores horribiles omnium corporis partium, itemque Ardores Capitis ignei, & Pustulæ saniosæ totius corporis, subitò ex Fascino corripuerunt, mox pristinæ sanitati restitutam, Incantationis materiis in ignem projectis.*

XXXVIII. *Mulieris, quæ acerbissimos Ventris dolores, & acutissimas Torsiones, Pectus transfigere visas, incurrit, cereâ suâ Imagine similiter acu perpunctâ, sed qui Dolores mox cessarunt, Simulacro isto in ignem projecto.*

XXXIX. *Fæminæ, cui Veneficus, Acus num. 30. & Sudes ligneas quercinas atque fraxineas num. 17. Incantatione illatos, ex brachio successivè iterum extraxit: cum restitutione sanitatis.*

XL. *Infantis decem mensium, quæ ex Veneficio in singularem Morbum præcipitata, non nisi sacris remediis adhibitis, & Veneficii instrumentis crematis, sanitati restitui potuit.*

CAS. XLI.

CAS. XLI. *Mulieris gravidæ, quæ tacto à Venefica ventre, subitò aphona facta, viriumque summam jacturam, & ventris gravissimos cruciatus, passa est, atque tandem, per alvum excretis Spinis, Ossibus, Ligni frustis, & aliis, nihilominus convaluit.*

XLII. *Mulieris annorum XVI. quæ, post tormina ventris, Clavos, Acus æneas, Ceram, Capillos, & ingens Carnis frustum, vomitu rejecit.*

XLIII. *Famulæ, quæ, post Ventriculi & Intestinorum torsiones miserabiles, Pilos, Acus, Sanguinem grumosum, & Ovorum cortices, ex Fascino, vomitu rejecit: cum Quæstione curiosâ.*

XLIV. *Pueri decennis, qui post gravissima symptomata, Lateres & Silices unciarum duodecim cum dimidia, Veneficio illatos, per urinam rejecit, & tamen medicamentis naturalibus adhibitis, maximè verò Laconico, iterum convaluit.*

XLV. *Juris Consulti, qui ex Veneficio, Incube trans-naturali, seu compressione pectoris summâ, cum periculosa virium languore, aliquandiu laboravit, & ab eadem Saga, quæ morbum intulit, singulari ratione iterum restitutus est.*

XLVI. *Adolescentis Genuensis, qui Crines muliebres, Villos Ovium, Linum, Bombycem, Acus crinales & sutorias, Unguium segmina, Ossium fragmenta, & Ferramenta multa, Vomitu rejecit, Visumque tandem amisit, & tamen iterum convaluit.*

XLVII. *Viri, in quem Venefica Abscessum cum ingenti Filorum glomo, ex propria confessione intulit.*

XLVIII. *Agricolæ, ex cujus Ventriculo, post perpessos crudelissimos hypochondrii Dolores, Clavus ferreus prodiit, & in quo post mortem aperto, Lignum teres, Cultri 4. & Ferramenta 2. cum Capillis conglomeratis, reperta sunt.*

CAS. XLIX. *Viri nobilis, qui Bufonem, & Lacertam per alvum ex Veneficio excrevit, itemque ex Abscessu Carbones, Pilos, Testas, Acus, Clavos, Ossicula, & Fila, protrusit.*

L. *Fæminæ, quæ intensissimo sinistri brachii dolore correpta est, ex quo postea, rupto Abscessu, Acus, Pili, & Carbones, prodierunt.*

LI. *Uxoris Villici, quæ Convulsiones stupendas ab Incantatione putatâ illatas perpessa est, & tamen Remediis naturalibus iterum convaluit.*

LII. *Viri, qui assumpto Lacte dulci, indeque excitato Vomitu, duos vivos candidos Catulos unà rejecit, & postea convaluit.*

LIII. *Filii annorum XIV. qui per alvum, urinam & vomitum, Fila, Linteamina, frusta Straminis, Chartæ & Orichalci rejecit.*

LIV. *Filiæ annorum XXI. quæ Guttâ serenâ à Venefica, afflicta, ope cujusdam radicis, iterum restituta est.*

LV. *Mulieris nobilis gravidæ, quæ à Venefica ad ventrem contacta, ilicò fœtus motum insolitum sensit, eumque mox in frusta comminutum excrevit.*

LVI. *Viri nobilis, cui per Incantationem Os femoris & tibiæ surreptum est.*

LVII. *Pueri, cui Saga, exbibito Pulvere albo, Ariduram, Contracturam partium inferiorum, & Ambulandi impotentiam intulit.*

LVIII. *Pueri, qui Capillos & Setas porcorum pelli adhuc inhærentes, ex putato Veneficio, per alvum dejecit.*

LIX. *Equitis & Puellæ. In illius Abscessu Felis junior, & in hujus Dorso Bufo, repertus est.*

LX. *Hominum, qui ante divæ Annæ altare sæpe frusta Vitri, Urceolorum Spinas piscium, & Loculos cum Nummis, evomere solent.*

SYLLA-

SYLLABUS MANTISSÆ.

I. *Quæstio solennis: An superius enarrata Excreta v.g. Acus, Filamenta, Linteamina, Cultri &c. revera in corpore fuerint, vel extrahantur? an vero Præstigiæ Dæmonis sint, extra saltim talia in corporis superficie ostentantis?*

II. *Joann. Baptistæ van Helmont. Fragmenta de Receptis Injectis: de Injectis Materialibus: de Injaculatorum Modo Intrandi, ex Ejus Ortûs Medicinæ Tractat. de Morbis eruta.*

III. *Lævini Fischeri Corporis Medicinæ Imperialis Titulus* XII. *de Morbis Magicè per Sagas inductis naturaliter curandis.*

IV. *Bartholomæi Carrichteri, Imperat. Maximil. II. Archiatri, Certa & genuina Ratio Medendi Morbis ab Incantatione dependentibus, nunc primùm Latinitate donata.*

V. *Collectanea & Secreta Myliana ad Morbos Magicos, quæ hactenus non nisi Manuscripta privatis in scriniis aliquandiu dilituerunt, nunc verò demum primùm prælo commissa, publicam in lucem emittuntur.*



ELEN-

ELENCHUS AUTHORUM,

& quidem non solùm eorum, ex quibus Casus eruti, atque Mantissæ Fragmenta desumpta sunt, sed etiam quorum aliqua sáltim in toto hoc Opusculo hinc inde fit mentio.

Ætius. Agricola. Johann.
Amthor. Casp. Aristot.
Bartholinus. Thom.
Bekker. Balthas.
Burgundus. Vincen.
Benedictus. Alexander.
Benivenius. Anton.
Bodinus. Joh. Boetius. Hector.
Borellus. Petrus.
Cabrolius. Bartholom.
Camerarius. Joh. Rudolph.
Cardanus. Hieronym.
Carrichter. Barthol. Celsus.
Chrysost. Codronchus. Bapt.
Colbius. Joachimus.
DelrioMartin. Donatus. Marcel.
Ephem. Physic. Medic. Germ.
Fabri. Pet. Johannes.
Fernelius. Johannes.
Fischerus. Læv. Forestus. Petr.
Francisci. Erasmus.
Frommannus. Joh. Christian.
Gabelchover. Wolffgangus.
Galenus. Gassendus. Petrus.
Gemma. Cornelius.
Guldenklee. Balthas. Tim. à
Hagendornius. Ehrenfrid.
Hanius. Balthasar.
Hannemannus. Joh. Ludov.
Heer. Henr. ab. Helwigius. Joh.
Helmontius. Joh. Baptist.
Heunius. Joh. Hildesh. Franc.
Horstius. Gregor.
Jordanus. Hieron. Josephus.
Käsebergius. Frideric.
König. Matth. Kozack. Sophr.
Lägerus. Joachim. Lang. Joh.
Lemnius. Levin.
Marci. Marc. Moronus. Matth.
Mylius. Joh. Dan. Mynf. Adr. à
Paræus. Ambrosius. Plinius.
Plato. Pomponatius. Petr.
Prætorius. Anton.
Reines. Thom. Remigius. Nic.
Rolfinckius. Guern.
Ronseus. Bald. Rulandus. Mart.
Salmuth. Philippus. Salomon.
Scharandæus. Scheffer. Sebast.
Schenckius. Joh. Theodor.
Schottus. Casp.
Schröckius. Lucas.
Sennertus. Daniel.
Sprengerus. Strausius. Laur.
Taranta. Valescus de
Thonerus. Augustin.
Vairus. Leonhard.
Waltherus. Joh. Georg.
Wedelius. Georg Wolffg.
Wider. Zachar. Wierus. Joh.
Willis. Thom. Wirdig. Seb.
Wormius Olaus.
Zacut. Lusitan. Zeiler. Mart.

CAS. I.



Casus I.

In duodecenni Puero, qui varii generis cùm viva Animalia num. 250. tum varias inanimatas non solùm naturales, sed etiam factitias insolentiores Res num. 26. successivis Vomitionibus rejecit, observatus, & nunquam antè, sed nunc demum primùm, secundùm omnes circumstantias, Latino diomate descriptus.



Ondum *die 30. Novembr.* 1694. universum terrarum orbem illuminans Phœbus conspectui nostro se subduxerat, cùm *duodecennis Puer, Joh. Theodorus, Plur. Reverendi Dn. M. Zachar. Döderlini, Pastoris Eccles. Berolzheimens. prope Weissenb. Noric. dilectus Filius* de *Dolore Capitis* atque *Ventriculi*, nec non summâ *Inappetentiâ* etiam ad sapidiora cibaria conqueri cœpisset. Solicita Mater etsi ignara, unde hæc ægrimonia Filio acciderit, tamen, procul dubio suspicata, ne ei hesternâ luce in horto, quo ex Patris indulgentia, ludendi, & animum relaxandi gratiâ, cum Fratribus suis, secessit, adversi aut venenosi fortè quid obvenerit, *Spiritus vini alexipharmaci* cochlear unum propinat, spe, fore, ut inde brevi cum Hygeja in gratiam redeat.

Puer annorum XII.

Dolor Capitis, Ventriculi, & Inappetentia.

Verùm tantum abest, ut morbus medicamenti ejus usu remiserit, ut potius, eo ingravescente, altero die adhuc graviora symptomata, ut: *crebriores vomitiones*, & *alvi fluxus* ultrò accesserint, quo quàmplurimi minuti *vermiculi* unà proruperunt.

Vomitus, Alvi fluxus, Vermes.

His symptomatibus obviam quidem ibatur varii generis cùm cardiacis, tum stomachicis remedijs; at at nec

his euporistis quicquam proficientibus, *die tertio Decembr.* in consilium vocare placuit non neminem cognatorum, Civem Weissenburgensem, olim Chirurgiæ Cultorem, nunc Medicinæ scientiam sibi vendicantem; quo per sex continuos dies vomitum compescentibus strenuè licèt insistente, cùm nil quicquam effectum esset, *die* 9. ejusdem mensis lethalia *animi deliquia*, & vehementissimæ sinistri lateris *palpitationes* successerunt, quas horâ primâ pomeridianâ *epilepticæ convulsiones* secutæ sunt; quibus integrum bihorium, mirandum in modum, continuatis, actum esse de *Theodori* nostri vitâ, omnes adstantes exclamarunt.

Animi deliquia. Palpitatio. Epilepsia.

Nihilominus autem viribus paulisper redeuntibus, novâque redintegrationis spe allucente, Experientissimus *D. D. Widerus*, Physicus ord. Weissenburgo, ipsâ noctis caligine, evocatus, haud morâ comparuit, probèque pensiculatis omnibus circumstantiis atq; pathognomonicis signis, vermes maximè suam hîc ludere fabulam, non malè hariolatus, *helminthagoga* potissimùm præscripsit, additis cùm stomachicis, tùm ant-epilepticis, aliisque quibusdam remediis, ut *Pulv. epileptico*, *Tincturâ bezoarticâ*, *Theriacâ cœlesti* &c. quin & Rotenburgo celebris Medicus, accepto de mali specie nuncio, omnis generis medicamina remittebat; nec destitit Mater, decantatissima aliàs ex *Vino, Spiritu vini*, *Mivâ cydon.* varijs aromatibus, & his similibus rebus, vel proprio Marte excogitata, vel ab aliis mulierculis commendata emplastra imponere.

D. Widerus consulitur.

Remedia.

Sed & his per integrum mensem adhibitis omnibus remediis nil quicquam proficientibus, imò potiùs indies ingravescentibus vehementioribus symptomatibus, ut: *palpitatione cordis, cephalalgiâ, vomitione crebriori, epilepsiâ*, aliisque, visum est, inducias quasi aliquot dierum facere, & ab omni remediorum usu ad breve tempus penitus abstinere, exceptâ solâ *venæsectione*, in brachio, mulierculæ cujusdam suasu, celebratâ, quâ evenit, ut epilepsia emanserit,

Symptomata varia.

Venæsectio.

rit, viresque quadantenus redierint, solis vomitionibus usque torquentibus.

Unde supra nominatus *D. D. Widerus die* 5. *Januar.* 1695. iterum consultus Pilulas contra vomitum & Vermes præscripsit, quarum aliquot cùm altero statim die deglutivisset *Puer*, vivum *Vermem* in abdomine suo percipere cœpit, ipsâque meridie diei septimi ejusdem mensis ita *captus omni sensu* est, ut animam agere visus fuerit; sed quâ non multò pòst quasi receptâ, lamentabili vociferatione, ejulatu & lachrymatione totam domum implevit, & præ animi angore lecti pertæsus in scamnum se projecit, in quo *miris motibus* se volutavit, subinde interpositâ tristi exclamatione, *vermem* intolerabili morsu internecionem minari, hincque extrema instare, nî cito præsidio redemptio acceleretur. *D. Wider. iterum consulitur.* *Syncope.* *Motus corporis.* *Vermis.*

Quam ob rem succurritur varijs remedijs, imprimis *succo allij* affatim hausto, quo, exacto ferè bihorio, *Vermis* mordere, & *Puer* vociferari desiit, ablegaturq; iterum ilicò nuncius Weissenburgum, Medico relatûm, quæ interea acta sint. Hic *d.* 8. remittit cardiaca, Pulverem in doses numero sex divisum, & *Pilulas anodynas*; *Trochisci* quoq; *contra vermes*, *Elect. Orwietanum*, & *Unguenta helminthagoga* copiosè in usum vocata sunt; sed quam medicaminum omnem vim strenuè elusit *larvatus Vermis*, quippe qui nunc dextrum, nunc sinistrum *Pueri* hypochondrium adeo acerbo morsu arrosit, ut is in lecto continuè hinc inde se jactitaverit, indesinenter horribilem clamorem ingeminans, & præ dolore tantùm non furore perculsus. *Remedium.* *D. Wider tertium consulitur.* *Medicamenta.* *Vermis.*

Hæc Tragœdia per integram penè horam acta est, donec nempe *Lactis vaccini*, nescio à quo commendato, usu sopitum Insectum sævire aliquantùm destiterit. *Lac utile.*

Cùm verò adverteretur, *Vermem lacte* quidem placari, non autem ejici; opera dabatur, quâ è corpore eliminari possit, assiduum in usum decantatissimis etiam aliàs

Marrubium herb. *Millepes.* vocatis præſidiis, è quibus ſolum *Marrubium album* id effecit, ut unicus *Aſellus* ſeu *Millepes* per alvum ſeceſſerit; utut grandior beſtia etiamnum usque in Ventris ergaſtulo *Tartarus emetic.* perciperetur, & *Tartaro emetico* enormes vomitus cierentur; quibus cùm vires haud parum frangerentur, viſum eſt, ipſum miſellum *die* 17. Weiſſenburgum mittere, ſpe, fore, ut præſentes Medici præſentius fortè auxilium ferre *Infuſum Mercurii viv.* queant; quos inter ſupra dictus *D. D. Widerus Infuſum Mercurii vivi,* & *Mercurium dulcem* non ſine ratione ſæ- *Mercur. dulc.* pius propinavit, amarumque illud *decoctum herbæ hyperici,* *Decoct. hyperic.* ordinarii potûs loco, ſvaſit, quo ad triduum omnia pacata reddita ſunt. Aſt hoc exacto hui! quanto impetu ſuam ludere fabulam latens perrexit animalculum! quod ad ſcrobiculum Cordis usque aſcendit, & circa illam regionem frequentiſſimè hæſit, nec prius inde receſſit, quàm obla- *Lacte Vermis placatur.* to *Lactis hauſtu*; dato verò amaro quopiam potu, quod mireris, ilicèt corpus adortum eſt, & ſæviter momordit, detractoque omni cibo ac potu, non ſolùm, uti ſperabatur, tergum ſuâ ſponte non vertit, ſed &, ſuperveniente *diffici-* *Symptomata nova.* *li reſpiratione*, nec non *vultûs intumeſcentiâ*, atque *livore*, *Suffocatio*, ipſaque *vitalis flammæ extinctio* proximè *imminuit.* Quare rurſus ad *Lac*, ceu ſacram anchoram, confugere, & paulò alia, eaque à prioribus diverſa medicamenta, propinare juvit.

Die 25. ejusdem menſis *Januarii* repetitus eſt *cathar-* *Purgans pulvis.* *ticus Pulvis*, qui ἄνω καὶ κάτω tantâ vehementiâ effectum ſuum edidit, ut omnes crediderint, aut *Vermem* aut *Puerum* hâc vice eo enectum iri; quorum hoc omnes adſtantes ob ſummam virium proſtrationem futurum, anxiè metuerunt.

At enim verò his iterum paulisper collectis, *die* 26. & ſequentibus adhuc efficaciores *Morſuli*, *Antidota*, varij *Remedia.* generis Potiones, aliaque medicamina plurima ſolicitâ curâ excogitata, & affatim exhibita ſunt; ſed & hæc omnia fruſtra.

Quo-

Quocirca *Filium* recipere domum, optimis Parentibus consultissimum visum, qui cùm ipsi evporistis suis instite-runt, tum aliunde à varijs Agyrtis petitis uti præsidiis per-rexerunt. Sed quorum omnium consilium nullum fuit op-portunius, quàm illud, quod is dedit, qui svasit, ut contra delitescentis Insecti ictus atque ascensus *calidi linteaminis* affrictu obviam iretur; siquidem hoc modo Reptile illud horsum, vorsum, & quoquò libuit, in ægri ventre, trahe-re, ac persequi licuerit; tametsi penitùs exturbari hactenus neutiquam potuerit. Unde ad fauces usque perreptasse vi-sum non amplius *lacte*, uti antè, sed vel *aceto* hausto, vel admotis *calidis linteamentis*, falli & detrudi debuit. *Linteaminis calidi usus.* *Aceti usus.*

Atque ex hoc tempore afflictissimus *Puer* ingesta ali-menta retinere cœpit, ea nempe fortassis, quæ *Vermi* con-venére; mox verò per superius guttur rejecit, quæ eidem displicuére; id quod ex affectuum pariter ac motuum in abdomine ortorum diversitate liquidò distinguere licuit.

Post hoc temporis ab Incluta *Facultate Medica Altor-phina* consilium implorare placuit, quæ, rata, in medica-mentis parum præsidii hîc sperandum, & nihilo tamen mi-nus melius esse, anceps quàm nullum experiri remedium, dexteritate manûs faciendam sectionem potissimùm propo-suit; quod extremum remedium cùm minus arrideret, ideo aliunde plurima accersita, & à *celebrioribus Medicis* effla-gitata sunt consilia, ut: *Norimbergâ, Augustâ Vindel. Fran-cofurto ad Mœn. Rotenburgo ad Tubar. Oetingâ*, ex *Hel-vetia* &c. quorum præscriptiones omnes & consignatas consultationes si recensere hîc loci anniteremur, face cer-tè & viatico, quod dici solet, opus esset, eo potiori jure prætereundas, quòd nil quicquam præstiterint juvaminis. *Medici Altorphini consuluntur.* *Medici alii consuluntur.* *Consilia omnia vana.*

Quid? quòd malum indies ingravuerit. Mimicus enim ille *Vermis* uno haud rarò die vel tercenties in gulam ascen-dit, vomitu etiam plerorumque ciborum nec dum cessan-te; tametsi, nescio cujus svasu, *Decoctum herb. card. ben.* *Vermis fit furiosior.* *Decoctum,*

& *basilic.* additâ *myrrhâ*, continuum in usum vocaretur; imò quod magis, abdomen Pueri, dum hæc aguntur, immane quantum *à conclusis perplurimis* luculenter *perceptis Insectis intumuit*; sed quorum non nisi unicum superiora petiit, reliquis imo in ventre usque permanentibus, nec unquam ad alta nitentibus.

Intumescentia abdominis.

Quamvis autem omnis propemodum redintegrationis spes decollaverit, tamen nil quicquam eorum intermissum, quæ ad rem facere visa sunt: tentabantur extrema, uti in ancipitibus ac desperatis casibus fieri assolet: infelix *sursum deorsum, capite in terram inclinato, versus*, atque ita aliquoties locatus est, ut exhalantem ex subtus posito fervido *Lacte* vaporem *patulo ore excipere* valuerit: quin etiam nunc *Lactis*, nunc *Aquæ balneo immersus*, nunc calido lacti insidere, jussus est.

Præsidium novum.

Balneum.

Jam etsi major sic dictus *Vermis Lacte*, ceu blandissimo delinimento, ut cùm maximè inescari passus fuit, adeo, ut hospites suis oculis eum nunquam non objecto *Lacte*, indeque excito vapore, evidenter conspicari potuerint; tamen neutiquam totum extrahere licuit, utut *Lactis* illo illicio ad fauces usque tractus ipsum caput suum ex ore *Pueri* sæpissimè exererit.

Lactis utilitas.

Solæ *Pilulæ Wildengansiæ* unicum quidem *Millepedem*, præterea verò nihil, projecerunt, præter quàm quòd biduanam vomitionem excitaverint. Quo non minus, quàm aliorum omnium consultâ operâ hactenus adhibitorum remediorum usu hæc ferè notatu digna occurrerunt; (1) *Insecti* naturæ herba *marrubii albi* singulari antipathiâ, tantoque opere adversari deprehendebatur, ut assumpti ejus *Decocti* virtute à Ventriculo in intestina semper secedere consveverit; in quibus quamdiu delituit, *acerbissimos*, per viginti quatuor circiter horarum spatium, intulit *dolores*, usque dum nempe inferiùs perrupit, & in infimum abdominis angulum se abdidit, ubi cùm nemo dubitaret, quin jam

Pilulæ Wildengans. Millepes.

Insecti natura. Marrubii usus.

Dolores intestinorum.

jam per inferiorem gutturem, ut cum Plauto loquamur, se prorepturum sit, subitò reversum, in Ventriculum iterum se recepit, in quo, lætis quasi aliquot datis saltibus, bis terve plerunque tripudiavit: (2) Idem Insectum omnem *calorem ægerrimè tulit*; ad sebaceam enim tantùm ardentem candelam, nec non ad illum ex fornace prodeuntem calorem, & ad calidiorem cum linteamine factum affrictum, ilicò aliorsum aufugit, ibique conglobatum satis magnum tuber excitavit, in quo non alia motio tactu percipiebatur, ac si viperæ conclusæ essent; admoto verò calidiori linteamento, mox iterum fugam petiit, & in alium se recepit corporis angulum: (3) Quoties abdomen intumuit, quod singulis diebus sæpiùs contigit, id ne robustissimus quidem manibus suis deprimere potuit; quàm primùm verò aliquis digitum suum majoris Insecti capiti impressit, actutùm omnia alia minora cursum aliò vertere visa sunt: Quibus (4) *Ruta* adeo infensa erat, ut, sive *Puer* naribus suis eam obtulerit, sive ventri suo imposuerit, sive comederit, omnia in motum concitata, atque in rabiem quasi acta fuerint: (5) Eadem Insecta tantoperè abhorruerunt â *Raphano*, *Aceto, omnibusque amaris*, ut horum quid à *Puero* assumptum statim vomitu reddere debuerit: (6) *Dulcibus* è diametro mirum quantum inhiarunt, & ad globuli moschati odorem *major* sic dictus *Vermis* unico horæ quadrante vel centies sursum exsiliit: (7) Idem tandem deferbuisse nonnihil, & à sævitia sua paululùm remisisse visus est. Nam etsi indies plus quàm millies in gulam ascendisse, sensit *bonus Theodorus*, ita ut non solùm subitâ deglutitione se expedire, eumque reprimere necesse habuerit, sed & quivis unus ad centum passus ejus strepitum audire potuerit; tamen aut omnino non, aut leviter tantùm, & quidem nunquam, nisi lacessitus, momordit; quo in casu vehementem excandescentiam præ se tulit.

Calor Insecto adversatur.

Rutæ herbæ utilitas.

Raphanus, acetum, amara Insectis adversa.

Dulcia grata.

Hæc

Hæc dum luditur Tragœdia, mœstissimi Parentes quid amplius agant, juxta cum ignorantissimis sciunt; & afflictissimus *Filius* solâ patientiâ, piisque soliloquiis animum solatur, intermixtis ad omnem commiserationem compositis planctibus.

Medicaster arrogans. Interea his transactis *d.* 25. *Februar.* arrogans *Medicaster* advenit, ausus, non solùm de celebrium & experientissimorum Medicorum hactenus datis consiliis judicium ferre, sed & alia frivola atque incongrua remedia proponere, nisi quòd jamjam adhibitis, vel similibus, maximè verò dulcibus pariter ac pinguibus insistere, & ab amaris abstinere jusserit; nihilo tamen minus homini fiditur, inque ejus quasi verba juratur, & quidem vel, uti communiter fit, quòd certam salutem promiserit, vel quòd effectus quandoque responderit, non quidem rationabiliter excogitatorum præsidiorum usu, sed nescio quo fato, aut casu; unde ejus verba tanquam è cœlo delapsa habentur, & quidem ab ijs præcipuè, qui ex eventu duntaxat de rebus judicare solent.

Millepedes 162. per os & nares excreti. it. 2. Teredines. unus Lumbricus albus Vermes etiam alii 4. Papiliones duo. Vermes rufi 2. Asellus albus. Erucæ 42. Scarabæus.

A quarto enim *Mart. die* usque ad 26. sequentia viva Insecta ex ore atque naribus *Pueri*, summâ omnium eorum, qui ea viderunt, cum admiratione, prodiére, nempe *Millepedes* sive *Aselli numero centum & sexaginta duo*, partim majores, partim minores, invicem permixti, quorum *decem*, imò aliquoties *viginti*, unico screatu egessit: *duæ Teredines: unicus* singularis prorsus *candidus Lumbricus*, sed nigro donatus capite, cujus similis etiam umbilicum perterebravit: *quatuor* citissimè currentes peculiares *Vermes*, quorum unusquisque viginti aculeatis præditus erat pedibus: duo *salientes Papiliones*: totidem *alacriter currentes* alii *rufi*, majoribúsque formicis similes *Vermes*: *unicus totus albus Asellus*: *quadraginta duæ Erucæ* fusci coloris diversæque magnitudinis: & tandem *unicus Scarabæus* justæ magnitudinis.

Sub-

Submonendum autem circa hæc animalia venit: (1.) non omnia per os exivisse, sed plura etiam ponè palatum perreptasse usque ad os cribriforme, indeque per nares, calidi linteaminis beneficio, propulsari debuisse: (2.) omnia non solùm vegetam vixisse vitam, sed & tantâ agilitate procurrisse, ut, nisi mox prehenderentur, abierint, evaserint, eruperint: (3.) non promiscuè, sed seorsim singulas eorum species prodiisse: (4.) minora Insecta à quatuor majoribus & aliquot minoribus Lumbricis terrestribus arcto quasi vallo circumsepta fuisse: (5.) horum Insectorum quædam per tres tantùm, quædam octo, quædam duodecim dies, vitam duxisse, usque dum nempe fame perierunt. *Notanda circa animalia.*

His lætificati Parentes Deo gratias egerunt pro tanto auxilio, rati, exclusâ diversorum Insectorum copiâ, *Puerum* jam sine dubio cum Hygeia in gratiam rediturum esse. Sed quid fit? cùm ipso Paschatis *die* 26 nempe *Martii* cæteri liberi lusûm exspatiarentur in hortum, ecce! omnia alia cogitantes in avium recenti atque eleganter exstructo nido inveniunt *candidum rubris quibusdam figuris ornatum ovum*: accipiunt læti, inque hypocausto comesturi, aperiunt: albumen recenti quidem, sed jam cocto simillimum; vitellum verò nigerrimum erat, & pyrio quasi pulvere conspersum: unde extemplò id abjicere, & quidem ad horti sepimentum, suasque manus venenatâ fortè spurcitie illâ inquinatas, aquâ abluere, jussi sunt; quo facto, ilicèt præsentibus parentibus, pluribusque, rei novitate, uti plerunque fieri solet, allectis curiosis vicinis, inque area stantibus, conspectu omnium, *Gallus gallinaceus exanimis concidit*, duæque *Gallinæ contracturâ corripiuntur*, & postero die in ejusdem horti cruciatim coeuntibus binis semitis inspersus, nescio cujus commatis, *ater Pulvis* animadvertitur: hinc nata *Fascinationis* suspicio. Accersitur iterum, atque consulitur paulò supra allegatus Medicaster, cui præ cœteris summâ fiduciâ adhærebatur: hic Unguenta *Ovum paschale. Gallus & Gallinæ fascinantur. Ater Pulvis. Medicaster iterum consulitur.*

pariter ac Emplastra, & Pulveres largissimâ manu suggerit: illis *Pueri* totum abdomen incrustatur; & his indies ad minimum quater, sæpe etiam decies, ingestis, ejus stomachus plenissimè infarcitur; de quotidianis Suffumigiis, aliisq; pluribus remediis ut ne quid dicamus; quibus noctesque diesque solicitâ curâ continuatis, constrictoque & subinde ligaminis vi sursum adducto ventre, contigit, ut à dicti diei tempore *usque ad finem Maii* ex ore *Pueri* quatuor *Ranæ* mediocris magnitudinis, *inferiùs admotis fœtidis Unguentis*, fugatæ, superiùs verò *appositis dulcibus* rebus illectæ, atque sic undique persecutione actæ, egressæ sint; quarum una *Scarabæum*, *Vermemque Majalem*, & duas *Erucas*, altera verò plurimum spermatis, & reliquæ duæ planè nihil, intra se continebant.

Ranæ 4. per os excretæ cum Scarabæis, Vermibus & Erucis.

Hîc mirum quid accidit & singulare, quod non possumus non enarrare: nimirum egestâ primâ *Ranâ*, svasu amicorum quorundam, ipsâ noctis caligine *Puer* ad piscinam ranis abundantem deductus est, spe, fore, ut, si fortè in ventre ejus adhuc plures delitescerent, ii per sympathiam quandam à sui similibus evocarentur. Vix autem appropinquavit, cùm ejus venter in prægrandem tumorem elatus, plurima serpentia viva animalia conclusa tenere videretur: quin etiam major ille sic dictus *Vermis*, qui per aliquot septimanas mordere desiit, nunc pristinum ludum crudeli modo repetere occepit, rursusque ascendit, & quidem intra biduum vel millies; atque, quod maximè mireris, Ranæ in Pueri abdomine hærentes *illas circa piscinam obvias eâdem prorsus coaxatione, eâdemque commotione imitatæ sunt*: unde postea misellus nunquam amplius eo diei tempore, quo Ranæ coaxare solent, pedem ædibus efferre ausus est: hoc enim facto, actutùm omnia animalia in ejus ventre se agitare, atque hinc inde reptare cœperunt, idq; nunquam sine illato insigni dolore & nocumento.

Ranæ in abdomine coaxantes.

Hanc

Hanc Ranarum excussionem post brevem temporis tractum sequebantur *aliquot Bufones*, & tandem *Lacertæ numero XXI.* diversæ magnitudinis; ubi iterum notandum, (1.) quòd, uti Ranæ, ita etiam hi Bufones distinctissimorum fuerint colorum, atque omnis generis specierum: (2.) quòd omnium *maximus illeque spithamæus Bufo* minorem deleterio halitu atque sibilo suo ilicò enecaverit, & copiosè eructato muco, satis magnum vitrum impleverit, cumque rursus sorbserit: (3.) quòd omnem Insecta hæc excernendi conatum præcesserit febrilis quasi horror seu rigor, quem mox, in faucibus *Pueri* titillatio, ipsaque ex ejus ore, absque notabili dolore, illorum, secundum longitudinem, secuta est eructatio: (4.) quòd omnia hæc ex ore Pueri in terram projecta animalia eâdem, quâ alia hujus commatis solent, agilitate in vestibulo discurrerint, vitatis omnibus aliis hominibus, præter *solum Theodorum* nostrum, qui *amabili sympathiâ*, quoquo voluit, ea pellicere, & pro lubentia capere, *inque prætensam capsulam pro conservatione cogere valuit:* (5.) quòd omnia lacti immane quantum inhiaverint, atque eodem in vitro conclusa cibari & nutriri potuerint; *equinâ* autem urinâ perfusa, mox interierint: &, quòd denique (6.) ultimò excreta Lacerta demortua cutis quâdam parte obtecta prodierit.

Bufones aliquot & Lacertæ 21. excret.

Bufo mirus.

Animalia excreta Puerum amant.

Equina urina Insectis adversa.

Jam salva res videbatur putantibus, quòd, quum omnium maximum ac immanissimum Insectum non amplius percipiatur, illud vel exspiraverit, vel foràs se proripuerit. Sed & hæc spes decollavit. Nam cùm bonus *Theodorus die 11. Junij*, præviis ad Deum fusis quotidianis precibus, illum lectum repetiisset, in quem biduo abhinc se recipere noluit, veritus, ne fortè adhuc lateret angvis in isto, molliter dormiens, subitò se elevat, exclamatque, amari quid in gulam defluxisse, hincque esse, quòd abdomen iterum intumescat; ipsum quin etiam animal, quodcunque demum illud fuerit, undique versum in viscera *Pueri* arietavit,

Insectum majus plurimum negotii facessit. vit, & quidem unicâ horulâ vel tercenties, itâ ut non minui, sed proh! duplicari lateres viderentur. Destructo enim quasi Insecti nido, uno illud stare loco nescivit, sed velut furibundum ac lacessitum nunc in superiores, nunc in inferiores puerilis ventris partes sæviit, & ad levem digiti cujusdam allisum, vel ad ipsius *Pueri* motionem corporis, ejus nempè pertæsum, plus quàm mille acerbissimos morsus inflixit, ut præ dolore vociferans misellus ad quinquaginta circiter passus audiri potuerit.

An autem noxia hæc bestia diversa fuerit ab illa, quam excretam jam antè omnes adstantes viderunt? an verò semel excreta, & in lecti fortassis stramine interea celata, vel suâ sponte corpus *Pueri* iterum subjerit, vel per *Fascinum* immissum fuerit? *Fascini suspicio.* non liquidò constat, solique Deo notum, & hoc unicum interim certum est, *die 6. Junij* reverâ denuo ex Puelli gula crepsisse, & quidem hac datâ occasione: nimirum cùm cognati atq; amici, uti fieri apud nos consvevit, ad *Theodorum* divertentes, saccharatas quasdam confectiones, benevoli animi testificandi gratiâ, offerrent, Insectum similes cupedias vehementer appetens, gulam in lecto decumbentis multoties consiliit, eamque tanto impetu petiit, ut ulterius periculum declinatûm, locum mutare coactus fuerit: demisit ergo se eodem in cubili prope fenestram in pulvinar scamno incumbens, idque serenâ æstatis tempestate, ubi accidit, ut talem saccharatam confectionem manu tenens, animo non nihil defecerit, hocque ipso, sacchari dulcedine dubio procul allectum, iterum exsilierit majusculum illud Insectum, quod Viperam adstantes vocarunt; quâ rejectâ, *Pueri* abdomen haud morâ concidit, atque detumuit. *Insectum dulcia amat.* *Vipera.*

Viperam non licet invenire. Hanc sic dictam *Viperam* revera excretam atque in terram projectam licèt omnes domestici solicitâ curâ per integram horam quærerent, tamen eam *invenire non potuerunt*; unde ne rursus, sicut primâ vice, in os *Pueri* irreperet,

peret, consultum visum est, eum subducere, & in *ædes integræ famæ vicini deferre*, maximè cùm animadverteretur, omnia omnino *Insecta*, ut, *Ranas*, *Bufones*, *Lacertas*, aliaque, solum inter omnes hunc homunculum valdè *persequi*, in quibus etiam ædibus per continuum octiduum immunis, Dei gratiâ, ab omni malo, salvusque & incolumis secundâ, cùm corporis, tum animi, valetudine, gavisus est.

Puer in alias ædes transfertur. Insecta omnia Puerum persequuntur.

Intereà Adolescentulo ab Illustri Persona, quæ eum invisit, varia medicamina mittuntur, pollicita, omnia naturalia ac licitissima, sicque comparata esse, ut maximè prosint iis, quibus adversi quid ex fascinatione seu maleficio fortè contigerit. Erant autem medicamenta hæc ferè: (1.) *Aqua* aliquot unciarum: (2.) *Pulvis pro fumo*: (3.) Alius *Pulvis*, atque *Oleum* quoddam per os assumendum: (4.) *Amuletum*.

Fascinatio. Remedia.

Hæc omnia remedia tantopere deprædicata unà cum illis à suprà citato Medicastro præscriptis diligenter adhibita sunt; quibus vulgi opinione, an casu potius? effectum est, ut à *die* 17. *usque ad* 24. *Junij ex ore suo Puer rejecerit* sequentes insolotissimas res, nempe (1.) aliquot *Clavens*, quibus soleæ affigi solent. (2.) dimidium *Annulum* alicujus *catenæ* (3.) *septem frusta* sive *Testas duarum diversarum Patinarum*: (4.) *Lapides*, quorum duo satis magni erant: (5.) *fasciculum pulchrorum Capillorum*: (6.) diversa frusta *albarum & rubrarum Testarum ovorum*: (7.) duo *Cultrorum veruta*, quorum alterum pilis involutum conspiciebatur: (8.) frustum *Ollulæ*, in qua antè medicamentum aliquod asservabatur, & tandem (9.) *duos ingentis magnitudinis Clavos*.

Res absurdissima per os rejecta.

Hanc Tragædiam, quâ dicta omnia Animalia ex ore *Pueri* in scenam prodiére, suis oculis aspexerunt & *Spectatissimus Dn. Knebelius*, Quæstor, & *Plur. Reverendus Dn. Pastor Ecclesiæ Trommetsheimensis*, & *multi alii fide dignissimi homines*,

Homines fide digni hæc animalia viderunt.

Prodierunt autem non ſimul ac ſemel, nec adeò facilè, ſed ſucceſſivè, laborioſiſſimoque niſu, & magno impetu, ita ut haud raro intra aliquot horas vix unica earum rerum proruperit, quas inter *Cultri* tantum faceſſerunt negotii, ut colli excoriatio & ingens nata inde ſit *Raucedo*.

Cultri.

Atque his etiam, juvante Deo, ſuperatis immenſis malis, in vado jam eſſe omnes res viſæ ſunt, maximè cùm patientiſſimus Adoleſcentulus nil quicquam vivi animalis in corpore ſuo amplius perciperet. Unde læti Parentes non dubitarunt, *Filium* ſuum *die* 16. *ejusdem Menſis* domum quidem recipere; nihilo tamen minùs in aliud detulerunt cubile, in illud nempe, quod Dn. Paſtoris ſocrus, quæ haud ita pridem Rotenburgo ad Tubar. advenerat, inhabitavit; cum qua ille unà eodem in lecto dormivit, per totam illam noctem de hoc nepote ſuo adeo certò ſolicitâ, ut ſomnum oculis prius non viderit, quàm altero demum mane horâ circiter ſextâ; quâ paulò poſt proh dolor! evenit, ut ſic dicta *Vipera corpus Pueri* ſummâ omnium agnatorum conſternatione atque mœſtitiâ iterum *ſubierit*; ſed quæ non adeo diu in eo commorata, exhibitâ triplici medicaminis doſi, miſſisque in cœlum ardentiſſimis precibus, inter levem illam ecſtaſin & ſomnum, qui admodum defatigato intera obrepſit, mox *iterum egreſſa* eſt; ubi *Theodori* noſtri pedi adeo altum *inflixit ictum*, ut viperini oris morſum manifeſtiſſimè dignoſcere licuerit, ipſeque dolore expergectus ſibique redditus, actutùm è lecto exſilierit, aufugerit, & in Patris Muſeum ſe receperit, ab illato veneno tumefactum pedem oſtendens, præſidiumque opemque exorans.

Vipera iterum ingreditur Puerum.

& ex eo egreditur.

Vipera mordet Puerum.

Hîc cùm ſine mora juſta *Theriacæ* doſis data, locusque affectus *oleo ſcorpionum* inunctus eſſet, tumor evanuit, & priſtina ſanitas tam bellè rediit, ut pii Parentes ipſo Solis die, Deo pro miſericordi precum exauditione devotas gratias acturi, *Filium* veſtibus indui, ſeque in templum ſequi juſſerint. Sed eccè! cùm is ab imo hypocauſto in ſuperius

per

per ſcalas aſcenderet, veſtimenti partem allatûm, immanis *Vipera* iterum innocentem *perſequebatur*, ſed qui, ad novum periculum evitandum, ipſum ſuperius hypocauſtum ingreſſus, repentè januam clauſit, & ſubitam opem imploravit.

Vipera iterum perſequitur Puerum.

Hac de cauſa præ timore tremens per totum illum diem ne horæ quidem quadrantem ſolus relictus, domique manere, & veſperi demum ipſis Parentibus ſtipatus exſpatiari, juſſus eſt; ubi, cùm conſueto amicorum more, ad Quæſtorem paululum divertiſſent, infelix *Gnatus*, ipſius conſpectu, illud *Cultri verutum*, quod excernere aliquot jam abhinc horis ſummo labore nitebatur, tandem *eructavit.*

Culter per os rejicitur.

Et quamvis ſequente nocte non in paternis, ſed vicini *Caſp. Bambruckeri* ædibus, præmiſſis conſvetis atque calidis precibus, unà cum Aviâ ſuâ cubitum iverit, nihilque adverſi paſſus fuerit; tamen altero ſtatim mane horâ circiter ſextâ eandem ſic nominatam *Viperam in ventre* ſuo denuo *percipere* cœpit, in quo ſolitos impetus & inſultus fecit, ſonorúmque edidit *ſtridorem.*

Puer iterum in ventre ſuo Viperam percipit.

Vipera ſtridet.

Iccirco hoc nihil juvante ſtratagemate, domum reductus eſt, adhibitisque cùm ſpiritualibus, tum corporalibus remediis, ſuum in lectum ſe recepit, cui ſolicitiſſima Avia perpetuò adſtitit, rata, fore, ut fortè exeuntem beſtiam ſuis oculis intueri queat. Ut ut autem animum ſimul ac oculos continuè in nepotem defigeret, tamen impetuoſiſſimum licèt Inſectum *egrediens conſpicari non potuit*; quàm primùm verò pauliſper ſeceſſiſſet, *Puerumque* ſomnus atque ecſtaſis quædam occupaſſet, denuò, & quidem quartò ac ultimò foras ſe proripuit, *inflicto manui* adeò *vehementi morſu*, ut ſangvis inde exſtillaverit.

Viperam non conſpicari licuit.

Vipera admordet manum Pueri.

Poſt hoc temporis boni Parentes *Theodorum* ſuum, deliberato conſilio, ad averruncandum Inſecti reditum, Weiſſenburgum ablegarunt, divinæque protectioni, & paternæ

Aviæ

Aviæ non minùs, quàm aliorum amicorum fideli curæ commissum, per aliquot septimanas ibidem reliquerunt, relictumq́ue præterea continuo medicaminum, & omnis generis necessariorum præsidiorum salutari usu adjuvarunt; quo factum, ut post excretas per os adhuc aliquot minores *Ranas*, postque tria *parvæ Viperæ* vomitu rejecta *frustula*, & quidem eo ipso tempore, quo humi jacentem Dn. Höchstetteri, Pharmacopæi, Filius sustulit, & post tot aliorum perpessorum malorum myriadem, tandem ab omnibus hactenus enumeratis Insectis, aliisque mirabilibus rebus, iis quin etiam pilorum glomeraminibus, qui Rotenburgi demum *Mense Julio* 1695. secesserant, benignissimâ Supremii Numinis dextrâ liberatus, adeoq; *pristinæ cùm corporis, tum animi redintegrationi*, omnium summo cum admiratione, *restitutus* sit, qui nunc non solùm *benè valet*, sed & gratiosissimâ Serenissimi Ducis Brandenburgic. Onold. munificentiâ celebri in Gymnasio Heilsbrunnensi, inter alumnos receptus, literarum studiis sine ulla ullius ægrimoniæ remora operam dare potest.

Ranæ & Viperæ frusta per os rejecta.

Convaluit.

Circa hanc autem sic vulgò appellatam *Viperam*, aliaq; ab *Adolescentulo* egesta Insecta, & multifarias hactenus indigitatas factitias excretas res submonendum (1.) quòd illa *Vipera*, etiamsi ex ore *Pueri* aliquoties egressa, iterumq́ue in id fuerit ingressa, tamen *nunquam à quoquam homine conspici, aut inveniri potuerit*, licèt in omnibus penè cubilis angulis sæpe sæpius studiosissimè fuerit quæsita; ut adeò non prorsus vana suspicio, aut incongrua dubitatio incidat, *an revera viva Vipera tantum facesserit negotii, tantosq́ue civerit motus?* maximè cùm imaginario fortassis illo illius putatii animalis egressu simul ac ingressu *Puer* semper somno & levi quodam animi deliquio correptus fuerit, & quid sibi obtigerit, posteà neutiquam recordari potuerit: deinde (2.) mirari subit, quòd eadem, quamdiu in ventre *Pueri* latuit, ei nullam intulerit noxam, & tamen egrediens

Notanda.

Vipera nunquam conspici aut inveniri potuit.

Quæstio.

diens bis ſatis atrox inflixerit vulnus: (3.) notandum, quòd egrediens non minùs ac ingrediens, os *Pueri* felleâ amaritudine oppleverit: (4.) ſciendum, quòd aliquando plus quàm dimidiâ corporis ſui parte ex ore *Pueri* prominens, eâ hujus vultum notabiliter verberaſſe viſa ſit; ſubitâ verò acclamatione ilicò receſſerit, procul dubio foràs proceſſura, niſi intempeſtivo adſtantium ſtrepitu perterrita, & quaſi refuga fuiſſet facta: (5.) nec hoc omittendum, quòd fortiores medicaminum hauſtus nunquam non ægerrimè tulerit.

Hoc ampliùs poſtremo omnium advertere juvat, quòd majora Inſecta, ut: *Bufones*, *Ranæ*, atque *Lacertæ* à *Puero* per os egeſtæ *inſolitæ* ferè *magnitudinis* ſpeciem, & *obeſiſſimos* ventres præ ſe ferre viſa ſint; amiſſâ verò animâ, exſiccataque conciderint, & in minima abierint fruſtula. Minora autem Inſecta, partim propter fœtorem, ab ancillis, cum aliis quisquiliis, mox everſa & abjecta, partim ab amicis advenis, ceu viliores minusque notabiles res, pro memoria, fortè clanculùm abrepta, iisque conceſſa ſunt. Et inanimatarum rerum, quas bonus *Theodorus* ſucceſſivè reddidit, plurimæ itidem aut interciderunt, aut perierunt; quo factum, ut minima omnium cujuscunque generis excretorum pars, curioſis oculis exhibenda, etiamnum ſuperſit.

Notanda alia.

Inſecta maxima.

CASUS II.

Qui in Medicinæ Doctore contigit, quique á ſe ipſo deſcriptus eſt, cui Saga, exhibito in Jure Pulvere, plusquam ferina ſymptomata, & inter ea præcipuè Convulſiones atque Dolores maxillæ immaniſſimos, per aliquot annos perſeverantes, ac prorſus incurabiles, veneficio intulit.

ANnus jam eſt ſeptimus, quo mihi matutino & nebuloſo tempore, peregrè abituro, *Vetula*, eodem anno, curæ infirmorum à me præfecta liberorum, ex culina *Ju-*

Jusculum à Venefica infectum propinatum.

sculum porrexit sumendum. Ad primi hujus *Jusculi* ex pane, cerevisiâ, butyro, & sale confecti (nostrates warm Bier vocant) cochlearis deglutitionem, me nullo sensibili corporis affectu laborantem, in ictu quasi oculi prehendit *dolor acutissimus*, qui primùm *à sinistræ maxillæ inarticulatione incipiens*, ad utriusque in mento combinationem, genæ musculos transversim pervadens, ita *motu* quasi *convulsorio*, nervos & fibras illorum vellicabat musculorum, ut, nisi adstantium manibus exceptus sustentatusque fuissem, subitanei doloris acerbitate perterritus, & enervatus, in ipsum prolapsus fuissem pavimentum. Unicâ hâc repentinâ, & vix decuplam horæ quadrantis exæquante partem, ast immanissimâ vellicatione superatâ, nihil amplius ad tres, nî fallor, septimanas, quicquam mali persensi; iter quoque sine omni confeci difficultate: sine molestia & dolore cibum mandere, deglutire, corpusque consueto motu movere, mihi liberum erat; nec post unicum hunc insultum ullam tum temporis corporis functionum observare poteram læsionem. Consternatus, hoc quasi cœlo tactus, subitaneo ictu diu animi pendebam, cui nam tam horrendum, nullisque præviis signis se prodentem adscriberem causæ effectum? Gulam à primis virilitatis annis, strenuasq; compotationes aversatus sum, & quando potuit fieri studio & assiduitate, corpusculi mei honestè semper prætendens inhabilitatem, liberaliorem tam vini, quàm cerevisiæ, potum declinavi. Verùm enim verò ut homines sumus, non semper ad dictamen rationis valetudinem curantes; ita contigit quoque mihi, ut Amicis & consuetudini aliquid dans conviviali, à consueta nonnunquam discederem diætâ, corpusque onerarem cibo potuque non necessario, sed superfluo; unde non potuerunt non generari cruditates quædam, corpori noxam aliquam imprimentes. Ad istam verò antevertendam, non passus sum, illas diu in primis delitescere viis, sed proficuis abstergentibus, blandidioribusq; cathar-

Dolor sinistræ maxillæ.

Convulsio inopinata.

catharticis, debito tempore & modo expurgavi, revocatâ conveniente & consuetâ victûs ratione. Ad reliquas sex res non naturales, mirum in modum corpus nostrum vel conservantes, vel corrumpentes, quod attinet, studiosè hoc egi, ne multopere mihi earum obesset vel defectus vel excessus.

Causam itaque tanti mali in harum illegitimum usum rejicere, fas non erat. Nec alia praecesserat causa externa, insignem & sensibilem parti adfectae imprimens imbecillitatem, unde promtitudinem aliquam, recipiendi defluxiones, conjecturare licebat, nisi quòd ante decimum à prima hujus paroxysmi invasione annum, *cutis ejusdem genae, acutissimo vitri fragmento*, sed leviter, non altè, vulnerata fuerit. Cicatrix negligenter tractata, non nihil ultra debitum luxuriavit, praecipuè in decliviori & articulationi maxillae propiori parte; quam excrescentiam apposito caustico potentiali removendam duxi; id quod feliciter etiam cessit, & spacio decennali nihil quicquam doloris, vel molestiae, vel ad maxillae articulationem, vel in genae musculis, animadvertere potui. Non tacendum verò arbitror, *temperamentum* meum esse *cholericum*, *calidum* scil. & *siccum*, & ob id gracile; quam constitutionem quae sequantur tam animi, quàm corporis pathemata, id notius est, quàm ut ullâ egeat recensione. Ex heraeditate quoque maternâ obnoxius fui *defluxionibus scorbuticis*, praecipuè ad dentes, fauces, fillasque, quas tamen rectâ victûs ratione & legitimo medicamentorum usu, praecipuè autem venaesectione, in tempore adhibitâ, partim antevertere, partim quoque tollere, saepissimè contigit. Non nescius quidem sum, vagas & instabiles scorbuticorum esse defluxiones, & inde enatos dolores; unde pronior quoque eram, hujus tam subitanei & horrendi affectûs causam illis tribuere fluxionibus. Permansissem in illa etiam diu, & mecum multi peritissimi Medici, sententiâ, nisi mos modusque invadendi,

Causa morbi.

Temperamentum aegri.

Defluxiones scorbutica.

Veneficii indicia.

di, typus dolorum, & periodus hactenus à nemine obſervata, fruſtraneaque omnium remediorum applicatio, & tandem ipſius *Sagæ confeſſio*, veram propalaſſent cauſam. Hæc, ad temperamenti vitæque rationem cognoſcendam, interſeranda exiſtimavi.

Saga confeſſio.

Redeo ad ipſum affectum. Tribus à primo illo inſultu præterlapſis ſeptimanis, feriâ ſcil. ſecundâ Pentecoſtes anni ſupra *milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimi primi*, ad amicum quendam in urbi proximo viventem pago, inviſendi, & me measque recreandi ergo tendentem, rhedâq; per civitatis inæqualia, ſine omni tamen moleſtia & doloris ſenſu, vectum pavimenta, nullis omnino præviis ſignis rhedâ in ipſo planiſſimo, æquali, & arenoſo, conſtitutâ, ſolo, iterum me vellicans ille, ſed primo longè atrocior, invaſit *dolor*, eoque adegit, ut ex rheda proſiliens, ad ſuperandum *immaniſſimum cruciatum*, in terram me projicerem. Hoc autem ſuperato paroxyſmo, Conjugis & Amicorum victus precibus perſuaſionibusque, iter ad dictum illum Amicum pedibus confeci, ſine ulteriori moleſtia, ab alio & quidem proximè impendente, nihil mihi metuens, paroxyſmo; quippe qui nullum in articulatione maxillæ, & genæ muſculis, tumorem, vel dolorem, obſervabam. Sed valde me mea fefellit opinio; primum enim ex juſculo appoſito dum abſorbere conor cochleare, majori vehementiâ nervos & tendines muſculorum, fibrasque *maſſeteris* & *buccinatoris*, *dolor* quaſi convulſivus (notanter dico quaſi convulſivus, quia nec ego in interiori buccæ parte, nec adſtantes ullam externam contractionem, ut in ſpaſmo fieri cynico videmus, obſervavimus) afficit, & ita frequenter, ut totâ illâ die mihi cibo & potu interdixerit omni. Ad unumquemq; *maxillæ & labiorum motum* recurrebant *dolores atrociſſimi*, & modò hanc, modò illam genæ partem, jam ipſam articulationem maxillæ, jam hujus, jam illius muſculi tendines, nunc maſſeteris, nunc buccinatoris fibras, modò re-

Anno 1641.

Dolor immanis.

Dolor convulſivus. Gena.

Dolor maxillæ.

ctas

ctas, modò transversas, modò obliquas, jam omnes simul, & variè ad varium, à natura in illis partibus formatas, usum, fibras, aliquando ipsum tantùm maxillæ periostium, jam totam interioris buccæ membranam, nunc transversim, nunc à superiori ad inferam, aliquando contrario motu, partem, instar igniti ferrei styli, subitò pervadentes, vellicantes, & veluti secantes, excruciabant. Finitis aliquot paroxysmis, uno altero prolixiori, ad horam unam & alteram intermittebant perfectè: nulla aderat sensibilis partium intemperies, nullus tumor, vel continui solutio, unde horrendos horum cruciatuum insultus proficisci, poteram conjicere. Victus autem horum dolorum acerbitate, & frequentiâ, in lectum me conjicio, & ad leniendos dolores *Cataplasma* ex *lacte*, *medullâ panis tritici*, *florib. chamomill. croc. bacc. juniper.* proportionabiliter confectum, & vesicâ suillâ inclusum tepidum, ne attraheret humores, parti applico adfectæ, & aliquoties repeto. Ad primam hujus appositionem nihil quidem levaminis persentio, neque aucti sunt dolores; quoties verò repetebam, toties exacerbabantur dolores, recurrebantque frequentiùs, ita ut coactus fuerim, illud removere, meque quieti dare. *Cataplasma.*

Supervenientem noctem tranquillè peregi, somnum ad virium restaurationem capiens placidum, nihil molestiæ in parte adfecta animadvertens. Quapropter manè nonnihil assumens jusculi, domum repeto, rhedâ sine notabili molestia & dolore vectus: & ita diem transigo. Postero die, ad nonnullum civem, febri petechiali graviter decumbentem, vocor; adeo hominem, & medicinam facio, & quomodo illâ, item quâ victûs utendum ratione, indico; ubi *repentinus* itidem me ferit *paroxysmus*, & *tantus* & *talis*, ut cum magna & vix superabili difficultate ad meas redierim ædes. Ab illo tempore frequentes me iterum paroxysmi exagitarunt, nunc longiores, nunc breviores; superveniebat etiam in parte buccæ interiori inflammatio sen- *Dolor maxillæ rediit.*

ſibilis, phlogoſis totius corporis, incertis recurrens periodis, urinæ jam inſtar fortiſſimi lixivii rubentes, transparentesque, jam turbidæ, paulòque pòſt inſtar farinæ laterum ſubſidentes, jam ſpiceæ, nunc aqueæ & crudæ, apparebant. Non concedebatur mihi ſine horribili animadverſione efferre literam aliquam gutturalem. Hiſce jactatus in undis convenienti utor diætâ, variaque ex arte generoſa, longoque uſu probata methodicè adhibeo remedia: injecta ſunt aliquot *Clyſmata*: quantum licuit ore aſſumpſi alterantia: blandiſſimis pharmacis ex primis viis ejeci cruditates: ad revellendum in dextro brachio ſecta eſt *baſilica*, in ſiniſtro pede *ſaphena*: ad derivandum in ſiniſtro cubito *cephalica*, itidem *venæ ſub lingua*: cervici & brachio ſiniſtro appoſitæ cucurbitulæ: parti adfectæ variâ formâ & modo applicata ſunt anodyna, (*Opiatorum uſus* internus & externus mirum in modum *noxius* mihi fuit) ſed ſine fructu & levamento ullo, niſi quòd, ad venarum ſub lingua ſectionem, nonnihil remiſerint dolores, deſieritque inflammatio, redieritque facultas loquendi. Reliquorum quoque præſidiorum uſum continuavi, ſed fruſtraneo, ut dixi, ſucceſſu. Paroxyſmi enim illi incognito typo, incertiſque periodis me excruciarunt *à ſolſtitio illo vernali, ad ſequentis anni ſolſtitium brumale.* Ab eo tempore, niſi me fallit memoria, *integrum ſine ulla invaſione tranſegi annum*, nihil incommodi in toto animadvertens corpore; quo emenſo, iisdem, & repentinâ itidem invaſione, correptus ſum doloribus, & quidem denuò ſecundâ feriâ Pentecoſtes, horis matutinis, ſacris ubi intereram. Omnia ex triplici præſidiorum genere exquiſita, & à Viris experientiſſimis mihi communicata remedia, non neglecto optimo victûs regimine, adhibui. *Siniſtro cubito, utrique cruri, fonticulum* inuſſi, nec quicquam, quod ad revellendum, derivandum, intercipiendum, quoquam modo aliquid facere poſſet, omiſſum eſt. Sed ſine ulla dolorum allevatione, fruſtra omnibus

Clyſteres. *Venæſectio.* *Opiata noxia.* *Venæſectio ſub lingua proficua.* *Morbi diuturnitas.* *Dolor ad annum integrum emanſit.* *Fonticuli.*

bus

bus adhibitis, ab illo solstitio, ad sequentis anni æquinoctium vernale, miris modis, & incerto intervallo, modò nocturni, modò diurni recurrentes paroxysmi me afflixerunt.

Tertius qui sequenti anno me invasit paroxysmus, nec ita vehemens, nec ita frequens, atque duo priores, fuit: aliquot enim sæpe dierum, imò hebdomatum intercedebat spatium, quo liberè me movere, loqui, edere, etiam cibum conficere, mihi concedebatur. Nihil tamen & hîc profuerunt medicamenta, quantâ etiam curâ & dexteritate administrata sint omnia. Quarta verò invasio, quæ finito hoc paroxysmo, proximo anno, ad æquinoctium autumnale me prehendit, acerbitate & diuturnitate, tribus præteritis, & præcipue posteriori, longè fuit *superior*, *durans* ab æquinoctio illo ad solstitium æstivale sequentis anni. Tam atroces autem & furiosi fuerunt dolores, ut sæpissimè, qui mihi præstò erant, de vita mea brevi actum iri, putarent. Jam ad omnem, jam ad certum, sed mihi non observabilem, recrudescebant dolores, motum: nunc ad omnem labiorum, maxillæ, capitis, manuum, pedum, motionem, modò hæ, modò illæ, aliquando buccinatoris, aliquando masseteris, musculorum, aliquando omnes utriusque, convellebantur fibræ, sine omni tamen visui conspicuâ, non verò sine satis acerbâ & mirâ contractione: sæpe vera, quantum ego sentire poteram, erat *inflammatio totius buccæ*, quæ tamen citò sæpe evanescebat; sæpe etiam ad horas & dies aliquot perdurabat, cum nulla cruciatuum vel remissione, vel intermissione.

Paroxysmus redit & diutius durat.

Inflammatio buccæ.

Præsens verò paroxysmus ordine quintus, qui jam à quadragesimo sexti anni solstitio brumali in hodiernum usque diem me exercet, tantæ fuit & est ferociæ, ut ejus admirandas carnificinas effari, vel literis consignare non possim. Sæpissimè aliquot septimanis, nec *labia*, nec *pilos* attrectare, nec *loqui*, nec *cibum*, nec *potum*, ullo modo, nisi

Symptomata gravissima.

nisi per tubulum quendam faucibus immissum, sine notabili & *horrendo cruciatu*, deglutire potui. Imò quod mirius, ad omnem per consueta emunctoria, sordium, & excrementorum corporis expurgationem, horrendum in modum, aucti sunt insultus & dolores. Nihil me juvit sæpius repetita *Venæsectio*, nihil *urinæ* & *sudoris* copiosum etiam profluvium: &, quod exemplo fortassis caret, ad omnem *unguium* & *capillorum barbæque pilorum* præsectionem, *exacerbabantur dolores*, & frequentiùs recurrebant paroxysmi. Unum reliquis omnibus admirabilius referam. Sesquiannus jam est, quo primùm de *Vetulæ* illius *veneficio*, oborto tumore non levi, cœpi suspicari, quo aucto, non sine gravi eam dimisi reprehensione.

Venæsectio frustra adhibita, ita & diuretica & sudorifera. Paroxysmorum exacerbatio. Veneficii suspicio.

Restabat autem turpissimo Scorto adhuc aliqua mercedis portio, cujus solutionem, suasu nonnullorum amicorum, non quidem in totum denegavi, sed ad tempus tantùm præfinitum suspendi. De hac mercedis suspensione Hannoveræ, ubi tum temporis degebat, certior facta, ita incanduit, ut ipsa etiam truculenta facies vindictæ satis judicarit cupiditatem.

Paulò pòst me tam horribiles invadunt insultus, unâquaque horâ octo, decem, duodecim, *omnes humanos superantes cruciatus*, *durantesque septem continuos dies*, & *noctes*, quas insomnes duxi. Nihil differebant ab illis doloribus, qui forcipibus ignitis membranosis, vel aliis, exquisitissimi sensûs partibus infliguntur. Dei tamen peculiari adsistentiâ tantillum, & quidem perfectè sæpè, intermittebant illæ vellicationes, ut spatio illo, inter ipsos intercedente, insultus, nonnihil cibi dentibus conficere, potumque deglutire potuerim. Ad unamquamque autem, quod notandum, vellicationem, in exteriori genæ cute quinque oblonga vestigia rubra, seu lineæ, ab inferiori maxillæ parte ad oculum & os usque jugale sese extendentes, quasi ignito & animato ferro impressæ apparebant, quæ etiam

Dolores immanissimi septem dies durantes.

finitis

finitis doloribus iterum disparebant citissimè, pallorque integram occupabat faciem ad novam usque prehensionem. Sinistri quoque oculi & temporis venæ & arteriæ, adveniente novâ vellicatione, in immensum intumescebant, ita ut non levem ruptionis, vel apoplexiæ mihi incusserint metum. Frequenter insultus venæ arteriæque jugularis, nec non temporalis vehementer pulsantium, forti compressione nonnihil retardare, avertere autem non, potui. Eâ motus ratione *arteriam temporalem præscindendam* curavi. Effluxit sanguis rubicundus, floridus, bonæ consistentiæ: sed quod forte fidem superat humanam, *sine omni ligaturâ sponte suâ*, & quidem repentè, sine animi deliquio, *constitit sanguis*, & citò coaluit vulnus, nihil post se relinquens juvamenti. Nihil levaminis ex arte nostra, nec quicquam ex publicis, nec privatis ad Deum fusis precibus auxilii, ad sistendos hos septem dies noctesque continuantes cruciatus, percepi. Tandem tamen *puerulorum abecedariorum* in tribus Scholis Brunovicensibus Deus victus *precibus*, Satanam quiescere jussit, ubi statim insultuum frequentia & acerbitas remisit, relictis levissimis vestigiis, somnum non abigentibus. A proximè præteriti autumni æquinoctio interior bucca maximam partem valdè intumuit, unde sæpe nihil, sæpè tamen multùm aucti sunt dolores, quorum augmentum semper comitatur inflammatio, instar ardentium prunorum easdem adurens partes. Ab illo quoque tempore *Ptyalismus* me continuò afflixit, sæpeque ichor ille profluens tantæ fuit salsedinis, ut fauces, linguam, labia, vehementer arroderet, cùm tamen ab omni cibo salso studiosè abstinuerim. Nihil me juvit alvi vel laxitas, vel tarditas, vel constipatio. Ad lenissimi abstergentis assumptionem, blandissimique Enematis injectionem, horrendum & repentinum in modum exacerbati sunt dolores. Omnis *Sternutatio* vomica est proximè impendentis paroxysmi. *Oculis* perpetuò *obversatur vapor*, jam violacei, jam flammei,

Arteriæ sectio.

Sanguis sponte sine ligatura constitit.

Preces puerulorum salutares.

Ptyalismus.

Sternutatio noxia.

Oculorum obfuscatio.

mei, nunc atri, nunc ex purpureo viridis, nunc ex omnibus mixti coloris, ad cujus incrementum etiam crescunt vellicationum paroxysmi. Frequentiam dolorum sæpè, sæpè etiam non, paroxysmo scilicet ad ἀκμὴν tendente, bacillo dentibus fortiter prehenso, avertere possum; ex qua bacilli prehensione tam diurnâ, quàm nocturnâ (ne ad momentum enim ipsum removere, concessum est) magnum sentio malum, *dentium* scilicet ex statione sua *propulsionem*, quorum *casum* cum horrore metuo. Urinæ profluxerunt magnam partem rubræ, instar lixivii, modò subsidentes, modò sine ulla hypostasi, jam aqueæ, & planè crudæ, jam optimi coloris & substantiæ, cum nulla tamen dolorum lenitudine. Ut autem rubeas, ita quoque aqueas copiosè & frequenter profluentes, semper commitata est dolorum exasperatio. Ad buccæ ardorem *mucilaginem seminis cydoneorum* cum *sero lactis caprini* extractam, tepidamque *ori injeci*: sed vix credibile est, quàm immaniter ex unica illa collutione *aucti* sint *cruciatus*. Postero die applicui *fotum ex lacte coagulato, floribus sambuc. & chamomill.* sed eodem successu. Plerumque etiam ante dolorum invasionem *vaporem* quendam *à sutura coronali per sinistrum tempus sub cute ad os usque jugale*, instar formicarum repentium, *descendentem* sentio, cujus descensum sæpè, non verò semper, *digitis fortiter partibus impressis, intercipere* possum. Ad os verò jugale quando pervenit, quicquid istius est vaporis, vel alterius rei, desinit, se movere, & paulò pòst vel ad labii, vel maxillæ &c. levissimam commotionem, subsequitur vellicatio, modò lenis, modò acerbior, nunc hujus, nunc illius fibræ. Hoc quoque tacere, non debeo, toto morbi decursu etiam horrendissimos inter insultus, urinasque tam turbidas, quàm planè crudas, *nihil meo decessit appetitui*: integer, & sibi constans permansit, neque ullum cibi aversatus sum genus, cùm tamen tantùm jusculis, & liquidiori cibo uti fruiq; queam, cujus nulla me

Dentium casus.

Injectio in os.

Dolores recrudescunt. Fotus.

Morbi origo.

Appetitus integer.

me in hodiernum etiam diem tenet nauſea. Mirum equidem eſt, quomodo cum horrendis iſtis cruciatibus, & ſanguinis impuritate, quam urinæ indicant turbidæ, craſſæ &c. ſtare potuerit valida appetentia, & Ventriculi actio ſatis firma. *Mens* quoque ut toto morbi decurſu, ita & hodie, Deo adjuvante, rectè *ſibi conſtat*, licèt corpus, etſi veſcat cibo boni ſucci, & facillimæ concoctionis, *exareſcat*, & tremat *effœto corpore laſſa cutis*, faciesque cum tota cute ex flavo liveſcat. *Mens ſana.* *Atrophia.*

Quicquid variorum hîc fuit ſymptomatum, ante turpiſſimæ Strigis propriam confeſſionem, mecum omnes peritiſſimi Medici, putrido & maligno adſcripſerunt *humori*, *vaporique ſcorbutico*, cujus haud leve, varia illa urinarum mutatio, nobis ſuppeditavit judicium. Illum autem, quo nobis eò melius illuderet, ſceleratiſſimus Cacodæmon, unà movendum duxit. Doloris morem quod attinet, ad nullam certam, ut manifeſtum eſt, ſpeciem ille referri poteſt: non ſunt verè convulſivi, nec inflammatorii, nec gravantes, nec pulſantes &c. ſed omnem horum id eam ſuperantes, circumſcriptamque tantùm corporis partem occupantes, ad *mali genii*, & *Sagæ* fortaſſis *arbitrium*, Deo permittente, ſed *potentiam tamen illorum limitante*, crudeliter me affligunt, & *genam, inſtar candentium acuum*, hinc illinc perforant, omnique ope & auxilio me privant humano. Quicquid verò ſpei mihi ſupereſt, id in peculiari poſitum eſt gratia divina, quæ tandem mei miſerta, ab Angelo colophyzante me liberabit. *Scorbutica diſpoſitio.* *Veneficium Sagæ.*

Venefica, quæ ultra ſexennium, nihil mali ſuſpicans, nec quicquam horum criminum in ipſa animadvertens, victum ſubminiſtravit, & amictum, Lagenhagæ, quæ ipſi patria fuit, prope Hannoveram, capta, torturæ ſubjecta, & jam combuſta, *faſſa* eſt, ſe *juſculo* in limine indicato, *Pulverem* quendam, *atque à Diabolo ſibi traditum*, *inſperſiſſe*, qui à me eo tempore, & poſtea aliquoties alius ejuſdem, *Saga confitetur Veneficium.* *Pulvis maleficus in juſculo ſumptus.*

Cauſa dolorum. nonnunquam etiam diverſi coloris, abſorptus, *tantorum cruciatuum* ſit *cauſa*. Interrogata, quomodo *Pulveres* iſti *tam vivacis* & diuturnæ poſſint eſſe *efficaciæ?* & *cur, in-* *Quæſtiones.* *certis tantùm affligant periodis*, præcipuè ad anni notabiles, aëris verò vix ſenſibiles mutationes, recrudeſcant dolores? veroſimilius eſſe, id non à pulverum facultate, ſed *ab animo vindictæ cupido* vel ſigillorum nonnullorum commotione provenire, reſpondit, primùm à nulla alia id eſſe causâ, quàm à pulverum iſtorum ſumptione, idque ſe *ex* *Veneficii modus.* *Diaboli habere relatione, conſtanter, & ſanctè affirmavit.* Acriùs verò reprehenſa, minarum quoque, & torturæ, metu deterrita, edixit, id Satanæ fieri artificio, quod tamen artificium ut procederet, nullâ verborum acerbitate, vel tormentorum comminatione, adigi potuit; quodque in cauſa fuit, cur ſecundæ ſubjecta fuerit torturæ, cujus vi tandem adacta, criminis nominavit ſociam, mediante ollæ nonnullius ad *ignem* appoſitione, *pro arbitrio dolores infligentem* & *removentem*. Sed ſtudioſâ & curioſâ, in ipſam ollam ejus ad ignem admotionem, aliaſque indicatas circumſtantias, inſtitutâ inquiſitione, nihil horum repertum eſt. Num Diaboli vel præmonitu, vel ope remota, vel cooperta ſit olla, actioque ad tempus impedita, id hactenus intelligi non potuit. Mendacem illarum eſſe magiſtrum *Remedium Balneum.* αὐτοδίδακτον novimus: de ipſius mancipiis quis ſibi aliud perſuaderi patietur? Sanctè quidem aſſeveravit, & conſtanter jam proxima etiam ſupplicio, me terno ex γλυκυπίκρῳ *herbâ* parati *Balnei* uſu ſanitatem, lentè tamen, recuperaturum. Paſſus ſum hanc mihi imponi neceſſitatem, tribusque illis uſus ſum Balneis. Ad primum immane quantum aucti dolores, ad ſecundum & tertium mitiores quidem redditi, ſed nondum intermittunt. Ad leviſſimam enim aëris mutationem recurrunt, jam præcipuè noctu, præcedente nonnullâ humorum ebullitione, ſudore, & ſternutatione.

In

In ea itaque sum opinione, etsi per Balneum veneficii, veneficiarumque vis sit extincta & sublata, (de quo tamen non sine causa dubito) attamen varios mihi propinatos à me inscio aliquoties sumptos Pulveres, tam malignam visceribus meis impressisse intemperiem, mihi persuadeo, ut jam ex optimo etiam cibo & potu, pessimum ejusmodi sanguinem, & vapores extremè nervosis partibus inimicos, generent, & ad mirum in modum debilitatam illam partem, veluti consuetum jam emunctorium, mittant. Neque dubium mihi est, quin humor vaporque ille, pro vario & multiplici siderum motu, aërisque alteratione, ad commotionem & dolorum procreationem, redditus quoque sit aptissimus.

Hæc mea jam est misera conditio, quid porro futurum, novit solus, omnia præsciens, Deus. Parum fidei Sagarum merentur assertiones, licèt non negem, etiam nonnulla *illata veneficia remediis nonnunquam tolli naturalibus.* Nec res exemplo caret, Diabolum sæpè corruptis & malignis uti, ad suas actiones, humoribus naturalibus, quibus correctis & ejectis, per naturam cognitis, remediis, ipsius quoque impeditur operatio. Contra meam verò carnificinam nil quicquam hactenus valuit vel ars, vel experientia humana, sed Diaboli subjectus truculentiæ, quoad Domino visum fuerit, conficior, animo, corpore, bonis.

Veneficia an tolli possint remediis naturalibus?

Dabam *Brunsvici 27. die Aprilis Anno Christi* cIↄ Iↄc *XLIIX.*

D. Joachim. Lägeri, Medici Brunsvigensis, rari, admirandi, & plusquam ferini, veneficio illati, Affectûs Historia, quæ extat apud *Hieronym. Jordan. Libr. de eo, quod Divinum aut Supernaturale est in Morbis humani Corporis, ejusque Curatione*, post Indic. Rerum.

Et paulò pòst idem Lägerus ibidem *loc. cit.* in *Literis* ad D. Theodorum Conerdingium *Brunsvici d. 26. Maij, & d. 15. August. M. DC. XLIIX.* datis, hæc ferè ad præsens

inſtitutum non minùs pertinentia habet: Poſtquam manipulos tres adhuc vireſcentis *Lyſimachiæ ſiliquoſæ folia ſalicis* referentis novem dies noctesque linteo mundo incluſos ex collo geſtavi, & poſtea defodi, immane quàm cumulatè in cruribus ad tarſum usque *maculæ*, primùm inſtar morſuum pulicum, parvæ, jam verò una lata, ampla, ſubviridis, lutea, purpurea, & neſcio, quo non alio colore prædita, in centro nonnihil protuberans, proruperint. Num illam protruſionem Lyſimachiæ tantùm, vel aeri, ad ejusmodi effectus edendos, jam ſatis efficaci, vel utrisque unà concurrentibus, attribuere debeam? nondum ſatis intelligo.

Lyſimachiæ virtus.

Remedium antiſcorbuticum.

Video tamen, ſi non omnibus ſcorbuticis, ut plurimùm tamen ſero ſcorbutico abundantibus, ad illius *appenſionem*, tale quid accidere, quod antè in corpore ſuo nunquam obſervarunt. Unde non obſcurè colligitur, aliquam huic herbæ, ſerum illud movendi, & ad extimas corporis partes evocandi, ineſſe vim & efficaciam. Huic virtuti ſi accedat aeris quoque temperies, mirum eſſe, non poterit, quin copioſiùs jam & faciliùs, atque alio tempore efflóreſcant maculæ.

Apparentibus hiſce haud invidis intùs latentis humoris indiciis, ratus ſum, convenientia illi opponere remedia. Incipiendum autem judicavi à mitioribus & blandis, præmiſſis ſcil. *Clyſtere* & *Apozemate*, leniter primas vias abſtergentibus. Poſtea progreſſus ſum ad uſum *Lactis caprini aquâ* diluti, cui adhuc ferventiſſimo per unam alteramque horam herbas floresque &c. alterantes, & putredini ſcorbuticæ adverſantes, immiſi, addito poſtmodùm parum *ſacchari*. Ad primum hauſtum nihil incommodi in Ventriculo & toto ſenſi corpore; proinde poſtero mane repeto, & circa decimam prandeo. Horâ autem unâ atque alterâ poſt prandium leves aliquot in Ventriculo percipio morſus, qui circa quintam veſpertinam aucti ſunt, cum murmure, & fluctuationibus nonnullis, quibus tamen poſthabitis, nonnihil

Clyſter. Apozema.

ſumpſi

ſumpſi juſculi, panis, & butyri. Sed vix ab horum ſumptione horæ abſum ſpatio, ubi me immanis prehendit *cardialgia*, muſculos pectoris, præſertim autem ſterni, clavicularum, & jugali, ita contrahens, ut ſine ingenti & acerbiſſimo dolore ſpiritum ducere nequiverim. Superveniebat enim, ſæpeque recurrebat eructandi conatus, evomendique. Metu autem acutiſſimorum dolorum genæ, non auſus fui vomitum, ad quem natura & humor malignus Ventriculum ſtimulabant, procurare. Victus autem ſymptomatum ἀθρόως ſupervenientium acerbitate, ſtylo ligneo altè aliquoties in fauces immiſſo, vomitum civi. Juvit Deus benigniſſimus Pater meos conatus, & eo auxiliante, & inſultus maxillares inhibente, ejeci (ſit venia dicendis) non tantùm *crudum & lac corruptum*, ſed *magnum ſeroſi* quoque *pituitoſique humoris tantâ acredine & amaritudine* præditi copiam, ut fauces & linguam, orisque, & labiorum partes, inſtar fortiſſimæ aquæ ſtygiæ (cujus odorem, acrimoniam, & exurentem ſaporem prorſus referebat) propemodùm excoriarit omnes. Et mirum eſt, quî Ventriculum & partes, per quas deferebatur, non eroſerit totaliter, cùm æream pelvim, quâ excipiebatur, non parùm eroſerit.

Cardialgia.

Vomitus enormis.

Ultimò lenta admodùm & *tenax pituita* cum *bile* partim *æruginosâ*, partim *vitellinâ* rejecta eſt. Niſi autem à virium lapſu mihi metuiſſem, procuraſſem ulteriorem rejectionem: ſiquidem paroxyſmi maxillares prorſus ceſſabant; quod equidem peculiari Dei auxilio tribuo, & propterea ipſi etiam adhuc gratias ago, & habeo immortales. Vires quia ad ulteriorem hunc vehementemque motum ferendum impares, ut dixi, animadvertebam, ideo hâc temporis vice acquieſcendum putavi, ne ſomnum, in quem procedebam, abigerem. A bilis, pituitæ, & acidi, acerrimique ſeroſi humoris rejectione *morſus oris ventriculi* ſtatim, pòſt autem demum diem, *pectoris & juguli compreſſio ceſſarunt*, & cruciatus.

Vomitus pituitoſus & bilioſus.

Symptomatum remiſſio.

Ab illo tempore *insultus maxillares intermiserunt*, non omnes tamen ad partes illas vaporum elevationes, & humorum cessant affluxus, qui tamen ad hanc, quâ hæc scribo, horam, nullam causantur vellicationem. Postero die in consilium vocato Fratre, hoc sumpsi Purgans.

Purgans medic. salutare.

Rec. *Flor. chamomill.* Manip. dimid. Coq. in s. q. *aq. veronic.* Colaturæ Rec. unc. duas cum dimid. In quibus dissolv. *Mannæ* opt. percolat. unc. dimid. add. *spec. diatartar.* unc. un. cum dimid. Misc. Ex quo sine omni corporis & humorum sensibili commotione septies dejeci, & magnam quidem pituitæ serique acrioris, ac flatuum copiam. Ast nondum ructus, murmura, & fluctuationes circa Ventriculum, & in Colo præsertim, planè cessant. Consultamus igitur de ulterioribus remediis, de quorum effectu proximè pluribus &c.

Cum Veneficio concurrere causas naturales.

Ex his manifestum esse, puto, quomodo sæpè *cum Veneficio concurrant causæ naturales*, quibus, Deo permittente, Satanas ad variè afficiendum corpus nostrum uti, nolente autem Domino, uti non possit. Illis enim ex corpore deturbatis, cessat vel omnimode, vel ad tempus ejus actio, regenitis verò, redit sæpè quoque adfectus.

Viscerum autem meorum maligna illa dispositio, â qua tam maligni humoris dependet generatio, num tantùm naturalis, vel tantùm ex Veneficio, & Pulveribus venenosis à Strige mihi præpinati, vel ab utrisque unà ortum suum habeat? id ego hactenus nescio, nec facilè quisquam determinabit. Novit id solus rerum omnium conditor, & gubernator Deus.

Dolores maxillares perseverantes.

Ab illo porrò tempore, quo hæc exaravi, in hodiernum usque diem, *frequentes & acerbos*, præsertim circa anni & Lunæ notabiles, aeris verò sæpè vix sensibiles, mutationes, à cujus tamen libero perspiratu continuus me præservat decubitus, patior *insultus maxillares*, & Cardialgias, plerumque ipsorum invasionem antecedentes. Sic scilicet

Deo

Deo jubente, acerrimâ & interminabili pugnâ cum Hydra hac Lernæa mihi pugnandum est, eritque, donec per piam placidamque mortem, Domino itidem volente, victor extitero. Quam ut Clementissimus misericordiarum Pater, & Deus consolationis maturet, benevolus Lector mecum precabitur, sortis humanæ, meæ, & suæ quoque memor.

Casus III.

In Puero novenni notatus, qui à malefica vetula, contorsione Pedis sinistri, acerbissimis Doloribus, & violentis Motionibus Abdominis, nec non Obmutescentiâ interpolatâ, affectus est, & tamen iterum convaluit.

Cùm Puer novennis, Filius Civis Ulmensis, adversâ pressus valetudine haud levem in toto abdomine sustineret dolorem, & aliquandiu morbum illum à causa naturali originem traxisse, judicatum fuisset, hincque remedia naturalia adhiberentur, sed sine fructu, indies quippe gravioribus succedentibus symptomatibus; tandem ipse Puer cum querimonia retulit, sibi ab inquilina paternarum ædium quoddam *esculentum* oblatum, simulque indictum, ut *aquâ plenum vitrum exhauriat*, nec non insuper *ab ejusdem manu humerum, collum & sinistrum pedem percussum* fuisse, à cujus ictu illicò *pes distortus* apparuerit, cum subsequente *ingenti dolore in toto inferiori ventre* concitato, quem quoquo versum, sursum & deorsum *magnâ violentiâ agitare* cogebatur, haud secus, ac si fera viva tantas turbas moveret, idque cum magna spectantium admiratione, & commiseratione.

Esculentum oblat. & Vitrum aquâ plenum.

Ingens dolor abdominis cum violentis ejus motionibus.

Sæpiùs adstantes gravem querelam ingeminarunt, suspicati, Satanam hærere in Pueri Collo, Lingua & Ventre imo, à quo tanta proveniant tormenta. Quisnam esset Satan interrogatus? respondit, malignum spiritum, ipsum

Linguæ à Dæmone ligatus.

Diabolum. Multoties etiam contigit, ut ad interrogata respondere nequiverit, asserens, *Linguam* suam à Dæmone quasi *ligatam* inhiberi, quominùs liberè ad sermocinandum eâ uti possit.

Hisce circumstantiis ponderatis, indubia conjectura & censura incidebat, Malum illud neutiquam à causa naturali proficisci, sed à maleficio concitari. Cùm igitur πάθος illud à Cacodæmone illatum sit, rationi consonum videbatur, media naturalia ad illius restitutionem haud multùm forè proficua, sed curâ magicâ opus esse, eo quòd spirituales substantiæ à corporalibus & materialibus parum afficiantur.

Hoc autem non obstante, experiri placuit quædam media naturalia, idque eo saltim animo, ut, si Cacodæmon eludens (prout aliàs ob versutiam suo merito titulum mille artificis assecutus est) non cederet, tunc nobis quoque à cura hac desistendum esse.

Et cùm Maleficium hujus Pueri non in circumferentia corporis resideat, sed interiores partes occupet, in abdomine imprimis vim suam exserendo, idque hinc inde agitando, quasi animalcula quædam viva (prout aliis maleficiatis ranarum & murium species excretas scimus) ibidem delitescerent, tantas molestias parientia, ideo oportet prius quædam interna adhibere medicamenta, ex mineralibus potiùs, quæ multò efficaciora & magis appropriata censenda, quàm ex vegetabilium classe depromenda.

Bolus ex cons. ros. Mercur. dulc. Tart. Vitriol. & diagryd. præp. Mercur. Vit.

Jam cùm Puer minorennis sit, primò facerem periculum cum *Mercurio dulcificato* cum *Tartaro Vitriolato* mixto, additis aliquot granis *diagryd. præpar.* & *Conserv. flor. rosar.* ut fiat inde Bolus. Hoc medicamine non sufficiente, adscenderem ad *Mercurii vitæ* (qui in omnibus Malis à Sagis illatis prærogativam habere meritò censetur) grana tria vel quatuor, si non in substantia exhibendo, saltem illius *Infusum* in *Vino* cum *Cinnamomo* porrigendo ad

Ægrum

Ægrum fallendum, qui aliàs in assumendis remediis valdè refractarius.

Quantam vim habeat *Mercurius Vitæ* in eliminandis rebus non naturalibus in corpore hærentibus, ex Observat. Joh. Agricolæ, Chymiatri Præcellentiss. patescit, qui Viennæ Puerum XVI. annorum, prætumido Ventre, quasi hydropicus esset, ab aliis duobus Medicis primariis relictum, beneficio *Mercurii dulcificati* & *vitæ* in integrum restituit, *pileo pleno, varioque ossium majorum & minorum genere per vomitum rejecto*, postremò etiam succedente *Animalculo vivo hispido, colore fusco, Ranæ* formam referente, quæ sanè à nullo vegetabili dimoveri, aut propulsari potuissent.

Mercurii Vitæ usus.
Observat. in Puero XVI. annorum.
Materia copiosa ossium & Ranæ per Vomitum rejectio.

Quin & Peter Joh. Fabri, Medicus Gallus, refert, se consultum à quadam Fæmina, quæ, exhibito à Saga venenato pomo, exin in tabem cum *dolore stomachi* inciderit, inque *ventre* suo *varios motus* senserit, & *animalium morsus*, multorum Medicorum operâ frustraneâ, ei obtulisse *Sal Vitrioli* cum Aqua Salv. subsecuto vomitu materiæ nigræ copiosæ, & *rejectâ Ranâ nigrâ squamosâ*, quam dosin cùm altero die reiterasset, Fæminam vomitu reddidisse *Serpentem squamosum*, & mox integrè convaluisse.

Observ. in Fœmina.
Sal Vitriol.
Rana nigra squamosa rejecta.
Serpens squamosus reject.

Ex illustribus his & rarissimis exemplis relucet, quantum opis sperandum in Malis *à Maleficis* concitatis per *medicamenta ex mineralium* classe deprompta.

Emetic. mineral. præstantia in Venefic.

Præmissis his universalibus, ad eam materiam, in qua delitescit seminale quoddam principium Maleficii, exterminandam facientibus, me conferrem ad quædam specifica exteriùs applicanda, & interiùs exhibenda. Foris placeret admovere *Cataplasma ex Stercore Maleficiati* in Vesicam porcinam injecto, & in camino suspenso, ad suffumigandum, juxta Processum Joh. Agricolæ, Chirurg. parv. sed præterrem *Emplastrum fœtidum* exteriùs admovendum, & Decoctum interiùs sumendum, quotidie duos haustus accipiendo,

Cataplasm. ex Sterc. maleficiat.
Emplastrum fœtid.

Decoct. Myns. contr. malefic.

do, quæ Adrian. à Minsicht. describit, inque omnibus morbis à Maleficio causatis summoperè decantat, & stupenda Experimenta quasi cœlitùs demissa nuncupare, non dubitat. Cùm enim Emplastrum illud constet ex *Asa fœtidâ*, quæ quasi mephitim spirando, quovis Stercore humano abominabilior est, exindeque nostrate linguâ nomen Teuffels-Treck meruit, indubium habetur, quin illi valdè, sit adversum.

Dæmones cur fœtida aversentur?

Etsi autem nobis haud exactè cognitæ sint causæ, ob quas Dæmones illa aversentur, cùm sint substantiæ incorporeæ, & à corporalibus non affici, existimari queant; tamen succurrunt duplices rationes meæ rationi plausibiles; primò cùm sint spiritus insolentes, ægrè ferentes, se tantoperè despici, & ludibrio haberi, cum indignatione recedunt, & ergastulum corporeum relinquunt: secundò haud videtur paradoxum, statuere, Dæmones habere potentiam videndi, audiendi, quid nî etiam odorandi? siquidem potentiæ cognoscantur per intervenientes actiones. Rem ita se habere, luculenter demonstrare licet per machinationes, ritus, & ceremonias magicas, dum certis conceptis verbis Spiritus vocati ilicò se visibiles præsentant: dum characteribus consignatis tantùm sine ullius voculæ enuntiatione incitati, ea exequuntur, quæ ipse Magus requirit, ad ejus quasi nutum obsequentes: dum Suffitu rerum fœtidarum profugantur.

Observ. de Agripp. Mago.

Ad rem planiorem & illustriorem reddendam, propono Casum mirabilem de Cornelio Agryppa, qui peregrè abiens Lovanio, claves Musei sui tradidit uxori, cum severo interdicto, ne cui concederet ingrediendi facultatem. Tum quidam curiosus illius Commensalis fœminam precari, non destitit, donec introitum impetravit. Ingressus, incidens in Libellum Adjurationum, cùm cœpisset legere, Dæmon intrans quæsivit, cur vocatus sit? quid fieri vellet? Cùm trepidus sileret, statim, præclusis faucibus, fuit strangulatus.

Agryppa

Agrippa domum rediens, cernens ſuper illum exultantes Dæmones, cognitâ re, præcepit homicidæ in cadaver ſe inſinuare, & per forum (ubi Studioſorum frequens erat conventus) aliquoties obambulare, & tandem corpus deſerere: eo facto, id exanime concidit, ſuo rectore deſtitutum. Exin diu creditum, illum ſubitaneâ morte ſublatum. Ex notabili hâc hiſtoria penè indubium capiendum argumentum, dum Dæmones citati ilicò comparuerunt, eos viſu, & auditu, non quidem carnali, ſed ſpirituali quodammodò eſſe dotatos.

Eò magis hæc videntur credibilia, cùm & noſtrates Theologi, & Pontificii, animæ humanæ, à corpore ſeparatæ, quæ ibidem eſt ſubſtantia incorporea & inorganica, viſum, auditum, loquelam attribuant; quid nî & odoratum? Notabilis eſt *Epiſtola* 100. apud divum *Auguſtinum*, deſignata *Viſio Genandii* dubii de vita poſt mortem, cui, ad perſuadendam animæ immortalitatem, quidam Juvenis in ſomno apparuit, jubens, ſe comitari in Civitatem, ubi audierit ſonos ſuaviſſimarum Cantionum, & beatorum hymnos, cum hac diſſertatione: Sicuti ergo oculi tui in ſomno non operantur, & tamen me vides, ita cùm defunctus fueris, nihil agentibus oculis carnis, vita tibi inerit, quâ vives, & ſenſus, quo ſenties. Exin relucet, animæ à corpore ſolutæ ſenſum auditûs & visûs attribui. Multò magis de Spiritibus Angelicis id adſtruendum. *Dæmonũ vid. aud. & odor.*

Quoad objectionem illam de eſculento eodem quibusdam aliis etiam pueris exhibito citra ullam noxam: ergo nec illi obeſſe poterit; annon expedita & rationi conſona reſponſio? ſiquis dixerit, ſoli prænominato puero obfuiſſe, quia Sagæ ſtudium & intentum erat, illi ſoli noxam inferre, & eam tantùm eſculenti portionem maleficio infecit, quam illi offerre conſtituerat; cæteras autem portiones aliis pueris exhibitas non inquinavit, quò minùs ipſius innoteſceret improbitas. Sed inſuper aquæ hauſtum obtulit, *Objectio. Cur ſoli Puero Saga nocuerit?*

tulit, humerum & pedem sinistrum percussit, quæ etsi innoxia fuissent, tamen quia sunt instrumenta & quasi sacramenta Diaboli, si ea peragant, prout edoctæ ac instructæ sunt, ipse polliceatur effectum, etsi ceremoniis illis & mediis nulla penitus ἐνέργεια & efficacia foret assignanda, cùm tria concurrant in maleficio, Deus nempe, qui permittit, Saga, quæ consentit, & Diabolus, qui artem perficit, vel immediatè per modum localem, præexistentem materiam morbificam, quâ impellit & transfert pro lubitu & arbitratu suo ad hanc vel illam partem. Si illius intentio est, quempiam excœcare, materiam phlegmaticam in oculos; si apoplexiam concitare, in sinus cerebri; si paralysin & contracturam causare, in nervorum substantiam, insinuare & præcipitare solet. Mediatè autem agit Dæmon, applicando activa passivis, cùm omnium rerum sublunariū calleat naturam & occultas qualitates, unde eas variè ad morbos inducendos callidè commiscere novit, & damnum inferre.

Tria in omni maleficio.

Dæmon nocet vel immediatè,

vel mediatè.

Cùm autem Cura suscipienda esset, Puer ille manibus pedibusque restitit, neque per os quicquam pharmaci admisit, neq; exteriùs applicita toleravit, à Satana se inhiberi quiritans, quominùs parére ausit. Ast cùm adeo refractarius fuerit, quid tandem contigit? qualem ista Tragœdia habuit καταστροφὴν? Post aliquot septimanas ab illato maleficio quandam *materiam viscosam, formâ rotundâ per os rejecit*, & jam Satanam emigrasse, palam asseruit. Utrum autem materia illa robore naturæ, irritatâ facultate expultrice, fuerit vomitu reddita, vel Dæmon in illa materia delitescens, vel ut seminali principio, ultrò cesserit, vel, ope magicâ interveniente, ergastulum corporeum reliquerit? haud liquet. Hoc tamen certum est, Puerum illum hactenus ab exagitatione Dæmoniacâ & atrocibus doloribus immunem, nec lecto amplius affixum esse, quin potius sat commodè obambulare valere, sed mentis languorem ac stuporem adhuc perseverare. *Augustin. Thoner. Observ. Medicinal. Lib. 4. de Maleficiat. Obs.* 1.

Materiâ viscosâ rotundâ per os rejectâ convaluit.

Puer convaluit.

CASUS IV.

Fæminæ 22. annorum, in cujus cute varii Characteres, itemque Rosa & Trifolium, eleganter effloruerunt, cum Acu manui atque pedi infixâ, & gravissimis Symptomatibus, doctissimoq; Judicio.

FÆmina quædam honesta ac pia, *annum* jam agens *vigesimum secundum*, temperamenti laudabilis, sed ad melancholiam non parùm inclinantis, anno Christi 1634. octavo Novembris, Saturnique die, circa vesperam, angustiis ac *compressionibus pectoris* quibusdam insolitis fatigata, somni capiendi animo, horâ consvetâ, ibat cubitum, & quanquam satis citò ille subsequebatur; non tamen fuit absque turbis, molestiis, & angoribus gravioribus, ob quos non semel post horam noctis 12. miserè ejulare audiebatur, sed somnians habita vocabatur, at non excitabatur, usque dum ejulatus repetebat frequentiores. Somno suscitata, oculos crebriùs elevabat, verùm haud diu apertos retinebat, imò ad somnum confestim se componebat, nec ultrà tria verba proferebat. Manè, die Solis, nonoque Novembris, circa horam 6. lecto exsurgens, templum, ac, qui sponsam quandam sponso, Christianâ copulâ, jungendam Ministro Ecclesiæ, secundùm promissum, adduceret, sollicitè meditans, en! *lividas maculas* duas in manu alterutrâ conspiciebat, variis lancinationibus continuitatem cutis brachii utriusque, à carpis ad flexuras cubitorum usque, solutam, supra cubitos utrosque verò diversis eam *literis*, quas inter exactè hæ duæ, *N.* nimirum & *B.* in unam quasi coalitæ, vel invicem sibi in hunc modum *NB.* appensæ, notis quoque *crucis* his ✠ insignioribus aliquibus notatam eandem animadvertebat. Quid? Illa non minùs sanctum suum propositum nutu benigniori Altissimi horâ matutinâ ordinariâ feliciter perficiens, circa 8. ejusdem diei antemeridianam

Fæmina annorum 22.

Compressio pectoris.

Lividæ maculæ.

Liter. NB. & ✠

nam templum denuo intrabat, prandioque, sive convivio nuptiali ad 4. usque pomeridianam satis læta intererat, nec quicquam interdiu ac noctu molestiarum percipiebat, nisi quòd die Lunæ subsequenti, Novembris v. decimo, numerum characterum, sub forma *crucis* unius atque alterius, quæ circa *collum*, *pectus*, & *ventrem infimum*, summo utplurimum diluculo eruperant, adauctum misera observaret. Persentiscebat insuper per integrum hunc diem angustias ac anxietates insignes, insultus unus excipiebat alterum, tantaque porro ad *profundiorem somnum*, qui plerunque nuncius ac principium futuri alicujus paroxysmi, ac dictorum *characterum* erat, aderat propensio, ut haud facilè ex eo suscitari valeret. Durante hoc, (miserabile ac mirabile visu adstantibus) ad plures corporis partes characteres nominati, sub figura maxima ex parte *crucis* alicujus, prorepebant, ita, ut spacio septidui à capite usque ad calcem, tam in anticis, quàm posticis partibus, tota cutis, ac si virgis vel spinis cæsa fuisset, vulnerata atque aspera cerneretur. *Facies* prioribus diebus semper apparebat *illæsa*, posterioribus verò notabatur quidem signis recensitis, sed levioribus, continuitatemque cutis veræ superficialiter saltem, vel vix quidem, præter epidermida, solventibus. Nocte diei hujus irruente lectum suum intrabat, dormiebatque per horulam, quâ elapsâ inquieta reddebatur, *ejulatus* edebat, manusque nonnihil arctè complicabat. Animadvertentes hoc adstantes, à somno eam arcebant, manus strictè quodammodò clausas recludebant, *acumque alterutri manuum volæ infixam* deprehendebant, eamque extrahebant. *Acus* ista ab adstantibus dictis, insciâ tamen nostrâ Fæminâ, varie fuit incurvata, ignique admota, atque asservatur etiamnum. Dies Novembr. undecimus, dicatus Marti, tolerabilior erat superioribus, non tamen prorsus liber ab invasionibus enumeratis, licèt mitioribus. Hâc nocte Fæminæ dictæ per somnium velut, acum se quandam sub lectô suô inventuram

Characteres Crucis.

Anxietates.

Somnus profundus.

Signa Crucis in toto corpore appar.

Facies illæsa.

Ejulatus.

Acus manui infixa.

Somnium de acu.

ram, quam, quò citiùs prunis imponendam curaret, eò celeriùs malum hoc remiſſurum, firmiùs imprimebatur. Hinc die ſubſequente Mercurii, qui 21. erat Novembris, ſomnii fortè ſub prandio recordabatur ſui, jubebatque, ut ancillula *acum* ſub lecto latentem ſtudiosè quæreret. Ancillula rediens, *acum* ſatis longam, ac quidem talem, qualem Sartores in conſuendis veſtibus adhibent, afferebat. Hæc prunis injiciebatur, inſtituebaturque actus hic aliquoties. His ita peractis, lectum horâ decubitûs repetens, *umbram* fortuitò quandam ſub *ſpecie humanâ* conclave ingredientem, anguloque ſeſe quodam abſcondentem percipiebat illa, quâ visâ, mirè expaveſcens, artusque tremens, *ſopore* obruebatur iſto *inſolito*, huncque dum, propter exquiſitos, quibus inſimul torquebatur, cruciatus, vi velut quâdam, animosè elidere conabatur, ecce! *vetula* facie torvâ terribilis lecto adſtabat, *baculoque* armata craſſiori *crura* ipſius *magno niſu crudeliter percutiebat*, atque indignabunda verba hæc ingeminabat: *Acum* mihi *redde* meam, Acum mihi redde meam. Hinc cùm altè exclamaret illa iterum atque iterum, *vetula evaneſcebat*; nec ampliùs à nocte hac inconſveti aliquid perpetiebatur ad diem Saturni usque proximum, qui 15. erat Novembris anni prænominati, quo ſub ipſius crepuſculo inter deambulandum novam quandam, alterutrius *pedis plantæ infixam acum*, non ſine magno dolore, & profuſione ſanguinis aliqua, ingenti vociferatione, aſtantibus oſtendebat. Nox decimi quinti hujus ſat tranquilla erat; quietè enim dormiebat, ac quidem ita, ut ſubſequenti die Dominicâ, 16. Novembris, templa absque remora frequentando, cultum decentem promtâ mente exhiberet. A die hoc decimo ſexto nihil adeò dolorifici ac inhumani illi obviam veniebat, niſi quòd non ſemel *extra ſuum lectum*, quem tamen horis ſomno dicatis conſvetis, qualibet veſperâ, præmiſſis precibus Chriſtianis, ac ſigno S. Crucis, repetebat, ſine manifeſto doloris ſenſu, *ſub ſcamno*

Umbra ſpeciei humana.

Sopor inſolitus.

Dolores acerbi.

Vetula percutiens crura.

Vetula acum repetens.

Vetula evaneſcit.

Acus pedi infixa.

è lecto cadit.

aliquo *cubans* inveniebatur, ac per intervalla, noctibus ſcilicet certis, utpote tertiâ, quartâ, ſextâ, vel decimâ, (non enim iſta propter dictorum dolorum abſentiam accuratè ita fuerunt obſervata) denuo *cruces* novæ, quibus nova *ſigna* alia, *Cordis* nimirum, novi item alii *Aſtronomici*, *Planetarum* videlicet *configurationum* uſitatarum, uti ☌. ⚹. □. △. ☍. tum & *Planetarum ipſorum*, ac *Luminarium*, ceu ♄. ♃. ♂. ☉. ♀. ☿. ☽. nec non *ſimplicium quorundam medicamentorum Chymicorum*, velut 🜖. 🜍. 🜨. 🜔. 🜕. &c. *Characteres* (*non* enim *horum, ut & Aſtronomiæ ac Chymiæ ipſius, quibus ſæpiusculè tum legendo, tum calculum ducendo, ſeſe oblectare aſſolebat*, præter ſexum muliebrem, *prorſum ignara erat*) adjungebantur, cuti quaſi inciſæ efflorescebant.

Signa Crucis, Aſtronomica, Planetarum, & Chymica.

Status hic abhinc ad diem 27. Januar. anni currentis 1635. usque benè-quietus erat, inſultusque dicti minuebantur, imò in totum deficiebant, præter illud, quòd, cùm allegato 27. Januar. anni 1635. die vicinam ſuam inviſeret, ac tempus ſibi invicem vel nendo, acu pingendo, aut colloquendo, terere proponerent, en! medias inter earum operas Fæminæ noſtræ manui dextræ figura *Roſæ*, ſiniſtræ verò *Trifolii* forma cum anno Nativitatis Chriſti hoc, 1635. leviter inciditur, ac quidem artificiosè adeò, ac ſi quis Apelles ea pinxiſſet. Anno huic Servatoris noſtri demum *Cor telis transfixum*, *ſtulti* item *imago*, nec non Germanicum verbum hoc, Narr/ & neſcio cum *crucibus* diverſis quæ alia, citra ullum dolorem, ingenti autem adſtantium ſtupore, ſubjungebantur. Tandem die 27. Februarii anni ejusdem circa punctum ferè meridiei malum hoc recrudeſcebat, *inſultuum exacerbationes* multùm intendebantur, Fæmina longè vehementioribus, ac priùs, obſepiebatur doloribus & angoribus, atque, quemadmodum paroxyſmi hi prioribus qualitate exiſtebant truculentiores, ita brevitate ac celeritate ſuâ præcedentium quantitatem ſuperabant. A die enim hoc ad præſens usque momentum nihil tale

Figura Roſa, Trifolii & anni 1635.

Characteres varii & miri.

Symptomata graviora redeunt.

Convaluit.

Fæmi-

Fæmina iſta, per DEI gratiam, perſenſit. Ille ſæpius dictam hanc ab inſultibus & luſibus iſtis Satanæ clementer in poſterum tueatur, ſanitatem illi inculpatam largiatur, nobisq; omnibus præſtò ſit cælitùs, quo omni indigemus numine, præſidio ac auxilio ſuo plus quàm præſenti, cui ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſecula. Atque hæc eſt Hiſtoria iſta illius Casûs Phyſico-Medici miſerabilis ſanè & admodum mirabilis, quem candidè communicare volui, prout ipſemet eum maxima ex parte obſervavi, ingenuè deſcriptum, manuque meâ conſcriptum. *Votum.*

Liceat verò nunc paululùm hîc mihi digredi, atque ea, quorum in præcedentibus vel facta fuit mentio, vel, quænam fuére adhibita medicamenta, aut, quæ aliàs occurrére, denuò, absque ſerie eleganti, verborumque ornatu, leviter attingere. *Luſum* autem affectionem hanc fuiſſe *Satanæ*, extra omne pono dubium, cui anſam datam volunt nonnulli, quòd Fæmina noſtra vetulæ cuidam, de qua certò conſtat, illam eſſe ipſiſſimam iſtam veneficam, *induſium aliquod* ſuum *rogata* donaverit. Pro Maximâ enim non ſolùm apud mancipia iſta Cacodæmonis, ſed & plebem rudem habetur hoc: Si ſerici, lintei, aut alterius cujusdam rei quid, modò homo hic, vel illic ſemel aut pluries nudo iſtud geſtaverit corpore, ad manus ſit Sagæ cuipiam, tunc poſſe iſtam hominem dictum, aut certum ipſius aliquod, quod ſibi elegerit, membrum, vel pungendo, percutiendo, ligando, contorquendo, vel quovis alio modo, nunc intenſiùs, nuncque remiſſiùs, lædere, quandocunque, & ubicunque locorum iſta voluerit. *Cruces*, quarum in prioribus faciebam mentionem, non ſemper eandem referebant faciem, ſed modò longiores, modò breviores, modò longiſſimæ conſpiciebantur; quædam apparebant profundiores, doloremque ac pruritum excitabant, quædam ad ſuppurationem perveniebant, ſuaque veſtigia ultra menſem poſt ſe relinquebant; in quibusdam verò talium nihil obſer- *Luſus Satanæ.* *Faſcinationis ratio.* *Crucium forma & diverſitas.*

vabatur. Ubi non immeritò quis scire desideret, *cur signa*, vel *notæ illæ sub formâ Crucis* maximâ ex parte, *Rosæ* item, ac *Trifolii artificiosè quasi pictorum, characterumque Fæminæ nostræ cognitorum, & pro parte oblectamentorum sibi habitorum, eruperint? Caussam* ego referrem in odium Diaboli, quo genus humanum prosequitur, maximum, studiumque ipsius per omnis generis insidias, illi nocendi, callidissimas maximè, fervens. Hinc dum signo *S. Crucis* cum precibus manè ac vesperi contra vim Satanæ Illa se munire sategerit, dictisque *Characteribus Astronomicis* & *Chymicis*, nec non Astronomiâ & Chymiâ ipsâ, quas Puella, ob mirum ergo eas amorem, conniventibus parentibus, à domestico quodam, jam Doctore Medico noto, ad tempus ruditer addiscere, laboraverit, ut & acu-picturâ subinde sese oblectare soleat, ex eo allaborat spiritus iste nequam, quo fidem ipsius erga Deum labefactare, vim precum eludere, & *S. Crucis* signo illudere, corpus ad statum melancholicum, *irridendo* nimirum *ejus oblectamenta*, perducere, sicq; unâ operâ, unoq; momento, animæ ac corpori ipsius extremè insidiari, conatus est. Hæc piè ac probabiliter conjicere licet, ubi ad interiores caussas penetrare perfectiùs, non datur. *Medicamenta* applicata fuerunt pauca, eaq; benigna, & quæ alvum leniter, ac melancholiam subducere, atque alterare, apta nata fuére, cum cordialibus nonnullis temperatis, & quæ utero dicata experimur. *Amuletum* ex herbis & seminibus, certis temporibus ritè collectis, quibus, ratione odoris, præpollebat *Camphora*, Halâ ei fuit transmissum; at noluit id admittere, ne odium Dei omnipotentis, vanè hoc modo laborando, contra odium Diaboli, qui, tanquam spiritus medicamentis corporeis per se non cedat, in se derivet. Hinc & satis læta ac animosa præter preces, cultum divinum, & sanctum usum Sacramentorum, nihil adhibebat dæmonifugi. Ex *Epistola I. & II. Balthasar. Hanii*, apud *Daniel. Sennertum in Appendice ad Practic. Medic. Libr. 6. Part. 9.*

Causa est odium Diaboli.

Medicamenta.

Amuletum.

Camphora.

De

De mirô hoc hactenus descripto Fœminæ cujusdam Affectu animi mei dudum agitata sensa, in compendio, exposituro, præmittere quædam liceat de Morbis, Affectionibusve, aut Passionibus corporis humani Dæmoniacis. Negotium hoc tanti utique est momenti, ut vel publicam requirat disquisitionem decisionemque: siquidem ea, ad plurimorum opiniones, saluti non modo temporaneæ, sed & æternæ obstantes corrigendas, facere possent. Multæ subsunt Quæstiones, quas titulis includam duobus: aut enim ad *cognitionem*, aut *aversionem*, pertinent. Et proinde de sequentibus, primò quidem, *an sint istæ affectiones? quales?* *Quæstiones.* *piisne etiam eveniant? in quantum à Diabolo? unde hic istiusmodi noxæ potens? quatenus à DEO permittantur? quæ signa sibi peculiaria exhibeant? Deinde, an Magiâ ullâ, naturali, aliâve obviandum? insintne simplicib. ullis diabolicæ potentiæ, isto se modo exserenti, adversæ vires? quæ tamen in his talibus casib. facienda? quæ à Medico?* mentem meam breviter explicabo. Et *ratio* considerantib. Diaboli *odium in homines capitale*, studiumque, quoquo modo nocendi, indefessum, nec non technas insidiasque vaferrimas, *persvadet*, & *S. Scriptura* in Jobo *attestatur*; & quæ passim, maximè extremo hoc mundi seculo (quod quò brevius iste vel scit, vel metuit, eò magis sibi usui facit, eò magis Christianis incommodare conatur) ad omnia non planè cæcutientib. obveniunt, *exempla* manifesta *docent*, *tales dari passiones*. *Ego* ipse similis notæ quid in principio conjugii mei pertuli. Diversi modi, admodum stupendi, specimen, habui, ante hoc quadriennium, in *Puella* illustri, atque alia duo etiamnum, alterum in *Virgine* Generosâ, alterum in *Juvene*, civis hîc præclari filio, singula discrepantia, variæ ac mirabilis historiæ. Dæmoniaci autem vel Diabolici morbi, corporisvé actiones hîc non intelliguntur illi, quos *obsessi* aut καταδυναστευόμενοι ὑπὸ τοῦ Διαβόλου patiuntur; nec quos iste ad *caussas* προηγουμένας vel προκαταρκτικὰς

An sint affectiones corporis hum. Dæmoniaca?

Observationes aliæ Fascin.

Quales?

adornans instinctu suo, sive *intemperanter*, sive *aliter noxiè viventibus* inducit: sed *quorum* αἰτίῳ συνέχῳ ἢ προσεχεῖ *ita machinationes suas permissu divino admiscet, ut multò graviora ac terribiliora, quàm aliàs, supervenire solent, symptomata, existant*; aut ad minimum, ubi ferè nec *morbus*, *mirabilia ludibria.*

Piisne etiam eveniant?

Non solùm leguntur *Ægyptiis reprobis* immissi Angeli mali, & *Prov.* 17. *v.* 11. *malo rebellionis studioso* Angelus crudelis adfore prædicitur, verùm *Jobo* quoque, cujus *integritati pietatique* ipsa suffragantur Biblia, ita obfuit Satanas, *piosque* vel lubentissimè iste, dum aliter, magisque, nequit, isto modo affligit, *si DEUS permittit: permittit* a. hic *in piis* id maximè ob *caussas* pòst referendas.

In quantum à Diabolo?

Verùm ut *Adversario* liberum non fuit, Jobi facultates liberosque attingere, & in corpus ejus admisso imperatum: אַךְ אֶת־נַפְשׁוֹ שְׁמֹר μόνον τὴν ψυχὴν αὐτοῦ διαφύλαξον, aut, ut Theodoretus, ἐξηγητικῶς reddidit: τῆς ψυχῆς αὐτοῦ οὐχ ἅψῃ: ita *semper ei à DEO meta figitur, ultra quam, ut ut velit, nil turbet; egregiè* verò *concessis utitur, ut sibi expediat, ut mala proveniant quàm maximè, juxta ægrum, aliosque commoventia:* ideoque potissimùm *sub sensus cadentia* exaggerat, perinde atque ulcerum universam corporis superficiem occupantium dolore, squalore, horrore, fætore, & Jobi ipsius animum non leviter concussit, & uxoris impietatem prolicuit, & amicorum fidem labefecit: *morbos* quoque *internos* si inferre, sive augere indulgetur, symptomatum turbis foràs erumpentibus, præcipuè allaborat, ut affectos pariter, atque astantes magis terreat. *Sacrilegium esset, statuere, blasphemum, dicere, Diabolum quid ex nihilo facere posse.* Eo quippe pacto abjectissimus omnium Summo potestate adæquaretur. *Neque spiritus iste nequam citra aliud medium suâ substantiâ in hominis corpus agere valet.*

Unde hic istiusmodi noxæ potens?

Relinquitur iccirco, ut, *quibus nostram lædat valetudinem, ex naturæ viribus*, quarum tam ipsarum, quàm omnium, eas extrahendi, & aptissimè applicandi, modorum

gnaris-

gnarissimus est, *sumat.* Sanè indidem sumit, & ingeniosissimè, ac subtiliùs multò, ac cautiùs, quàm ut animadverti possit, *obtrudit*, vel etiam *cum ipso aëris haustu intrò rapi*, vegetari, inque destinatum, quantum licet, nocumentum, maturari, interim *eo*, *quod in dispositione corporis ad affectus jam paratum reperit*, *minimè neglecto*, facit: non minùs *caussas*, passionibus superficiariis perquàm *præstigiatoriè*, *suggerit.* Et usque quoque eò annititur, ut *mancipiorum suorum* (à quibus suum ad præscriptum *ineptiæ* jam factæ sunt, quibus quidem *ii perditi homines plerumque imaginantur*, *proximo*, *quem volunt*, vel *morbum imprimi*, vel *ludibrium fieri*; ipsum autem *Diabolum* duntaxat *iis*, *quasi sacrificio placito*, *cultum ad facinus cupitum perpetrandum instigant*) *desiderio satisfaciat*, vel *satisfecisse videatur*; eoque artificio *apud eos fidem sibi firmet*, *venerationem amplificet*, ac simul *aliorum fidem venetur*, aut *fœneretur*, *illaqueandorum* fortean hinc *in speciem*, & *lubitu nocendi*, inde *juvandi*, *potentiâ*: *in medio se suosque angustiæ*, *eximendi cupidine* adeô intentâ sæpe & cæcâ, ut & *illicita arripiant remedia*; vel ad minimum *nimio ipsius* τοῦ πονηροῦ *timore*, *divinæ* autem *tutelæ diffidentiâ*: *quantò* enim *magis à Diabolo quis territus*, *eò minùs fretus Deo.* Raro igitur negotium tale, omni ex parte, absque istius extremè πανούργου lucro, expeditur, undique in periculum his propendentibus, æquè humanâ fide, cujus unius recto usu salus apprehendenda, atque divino cultu, qui omnium minimè Diabolo tribuendus. *DEUS* itaque ad tempus redit, aut *refractarios sibi in pœnam*, atque εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, ἵνα τὸ πνεῦμα σωθῇ, sicuti olim Ægyptios; quem in finem & Paulus, 1. *Corinth.* 5. *vers* 5. quamvis aliter habendos, Satanæ tradendi potestatem esse Ecclesiæ, atque se etiam 1. *Timoth.* 1. *v.* 20. in Hymenæum & Alexandrum exercuisse indicat: aut imprimis quoque *deditos*, *in audacissimi juxta atque superbissimi spiritus*, *ejusque asseclarum confusionem* *& op-*

Quatenus à Deo permittantur?

& opprobrium, exitiique augmentum; in *sui verò gloriam, suorumque, & ipsorum ita ægrotantium multiplex emolumentum*: quandoquidem insimul hac in lucta ipsius gratia magis magisq; impertita, auxilium providum, defensioque potentissima, ac piorum fides constantiaque probata, coram mundo inclarescunt. Proinde sunt talium passionum, præsertim *in piis, indicia* certissima tam *Dei gratia larga*, quàm *Diaboli opera curiosa*, conspicua satis utraque. Namque clarè elucet illius edicti robur, אֶת נַפְשׁוֹ שְׁמֹר *animam, vitam ejus observa; ne tange*: adeò, ut neque in animo, neque in corpore quicquam contra id perpetrari potuisse, appareat, cùm patientes plerumque, & omnium spe animosiores, & viribus corporis valentiores, quàm pro ratione affectionis, sint, maneantque. Imò cùm quandoque *lædere* mavult Adversarius, ei *ludere* tantùm conceditur. Suas verò molitiones atque artes eo insigniter prodit, quòd *omnia solito vehementiùs & tumultuosiùs ad incutiendum timorem*, ac præterea quoque *accuratiùs multò* atque *inordinatiùs, quàm cùm naturales caussæ sibi relictæ agunt*, accidant. A tali valetudinis eventu *corpus liberaturi Magiâ ullâ* (ut hodiernus vocabuli istius significatus obtinet) *cum fide suâ spiritum Diabolo mancipiant*. Et dolendum, volgo penitissimè insedisse opinionem, *fascino, præstigiis, incantamentove, langvefacta, non nisi alio similis generis, non naturali actu, restitui posse*, qui ab anu, vel viro aliquo ejus rei perito impetrandus; atque ab eo usque cæcis insania, prudentia, maledictiones, creduntur benedictiones: pudendum a. in eruditis numerari, qui *naturalem quandam Magiam* oriundam asylo asinorum, in domicilio inexploratarum συμπαθείας καὶ ἀντιπαθείας, his talibus in casibus commendant: *sulphur, verbena, hypericum, adianthum, antirrhinum, quercum, taxum, Parisque*, & centum reliqua *diabolicis machinationibus contraria medicamenta* quòd deprædicentur, scio; at scio quoque, pleraque illorum jam olim

Insitne simplicibus ullis Diabolica potentia, isto se modo exserenti, adversa vires?

olim *Idololatriæ*, atque adeo *diabolicis ſacris dedicata.* Nimis propterea ſuæ & conſcientiæ & ſalutis ſecurus, vel negligens, iſta adhibeat. *Nec* enim *præter DEUM & entheâ quisquam in rerum natura Satanam fugare poteſt*, quòd *purum putum ſpiritum corporea nullo modo per ſe afficiant.* Veluti igitur πάντοτε ἐν παντὶ νοσήματι hîc præcipuè caput eſt medelæ, *maximopere agere, ut DEUS adſit, & Diabolus facilè cum omni & opere & operario ſuo faceſſet, aſſiduis precibus implorato DEI auxilio propter Chriſtum*, qui opera cum fiducia in Deum Satanæ inſultare, *quicquid moliatur*, quicquid *minetur*, *contemnendo*, *minimèque* aut *ſtupore* aut *timore titillare Superbiſſimi, licentiamque ampliare*, ex adverſo autem *honorem offendere Supremi*, & *adſiſtentiam arcere.* Quin imò, quod injuſtiſſimus Invaſor ac Detentor lytri loco habeat, *ne pilum quidem concedere*, *nec manum vertere*, multò minùs *quicquam*, *quod eum reſpiciat*, vel *ejus cauſâ ſuſpectum aliquatenus ſit, in medicamine admittere.* Idem attentè *Medicus* caveat, cujus ſi operam *morbus* poſtulat, omne ſuum ſtudium & operam eò adhibeat, illum ipſum ut *tollat*, *continentem cauſam*, aut *conjunctam removens*, vel *probibens*, nec non *partibus plurimùm patientibus vires tutans* atque *inſtaurans.* Quod aloquin nec medendi methodus admittit, *ſymptomatibus* hîc præſertim *curam ne impendat*, niſi ludificari velit: *flammam modò extinguat, totus turbarum Diabolicarum campus*, *calor*, *ſplendor*, *fumus*, *ſua ſponte evaneſcent.* Sed denique, ut, cum quo loquor, ſeorſim loquar: ſelige nunc, ſi quæ ex hactenus memoratis proficua eſſe poſſe, videbuntur. Quo lectiſſima illa Fæmina ſolicitatur, leviculum eſt, & tantillum, ut nomen morbi non ſuſtineat. Nullam enim functionem lædit: vix plus attactu præſtigiis conceſſum eſt. Cuticula ſolùm transfixa, ac ſumma cutis acu puncta actutùm puſtulas pruriginoſas excitare non poſſent, niſi quid cauſticum accederet; quod, cum acui etiam inhærens cuticulæ ſubvenire

Quæ tamen in his talibus caſib. facienda?

quæ à Medico?

Medicum auxilium nullum.

nire posset, nisi alia ibi præstò esse, deprehendatur, ne quidem vel sudore, vel balneo uti, opus. Itaque tantùm ea, quæ prius recensui, si, ut jam pridem, dubio procul, fiunt, rectè aguntur: frequentes precum ferventium exhalationes exhorrescens; animorum vestrorum, quos infringere, mœrore obnubilare, potentiâ stupefacere, voluit, magnitudinem, & in fide ac fiducia erga Deum obfirmationem, à spe ludificationis istius jamjam finiendæ tranquillitatem, gaudio singulari de gratia divina, quæ Adversarii omnem rabiem adeo hîc obtudit, ut ea, qui istius destinationem exsequens, vel intimis in visceribus tumultuetur, ac sæviat, vix cuticulam penetrare valens, ipsa lusus facta, autorem quoq; suum visui exponat, contemtibilemque prorsus ostendat, scenationem indignatus, exsibilationem tandem & opprobrium metuens, nihil doni, nihil spolii, ne quidem quid ex quisquiliis, nihil vilissimorum ullo modo superstitionis suspectorum, vobis scientibus, ac volentibus, adeptus, brevî Diabolus acu pungere & pingere intermittet, proculque fugiens, suum ipse, quo forte usus est (an ἀοράτῳ possit? dubito) ministerium non tantùm coercebit, sed fortassis etiam, uti aut cunctis, aut altero, ita elusus se gerere consvevit, manifestabit. Ex *Judicio de hoc ipso Casu Joachim. Colbii* apud *Dan. Sennertum in Appendic. ad Practic. Medic. Libr. 6. Part. 9.*

CASUS V.

Puellæ annorum quindecim, quæ Anguillam per Alvum, item Pilos, Ligni frusta, Stercus columbinum & anserinum, Carbones quoque, Atramentum, Membranas, Venas, Ossa, & copiosissimum Sanguinem, per os rejecit, inter unà perpessa stupenda Symptomata.

Puella annorum XV. PUella annum agens quindecimum, habitu corporis mediocriter succulento, formæ venustate, atque ingenio, non vulgari, cui tamen in vultu subtristis quædam alacritas mistu-

misturam æquabilem humoris sanguinei & melancholici præ se ferret, cœpit languere variis symptomatibus. Circa Januar. anni 1571. *menses* bis terve processerunt, sed à morbi initio statim *suppressi*, insignem totius *corporis lassitudinem* pepererunt, ejus generis, quem φλεγμονώδη Galenus appellat. Magna fuit *veneni suspicio*, quòd *libamenti frustulum* accepisset, in quo mandendo, se sensisse, dicebat, saporem non prorsus extraneum, sed asperitatem deglutitioni resistentem; atque ab eo tempore cœpit primùm *angi* circa *præcordia*, *extenuari* plurimùm, *vomere* per intervalla, *anorexiam*, & *vertiginem* pati, aliisque propè, quæ gravidis solent accidere, symptomatibus conflictari, potissimùm tamen 4. & 7. mense. Nam circa medium Junii *febres* occultæ sensim in manifestas abierunt, cum *siti*, & quadam *convulsionis* specie, animique deliquio. Interdum verò sic auctus est *dolor*, ut instar furibundæ de loco in locum continuè fluctuaret, sæpe *inflatis præcordiis*, multò vehementiùs, quàm in hystericis solet. Eò angustiæ venit, ut nigricante facie *fauces velut ab injecto laqueo premerentur: tres quatuorvè ministri robustissimi vix retinendæ sufficiebant*, quia repentè exiliens lecto in omnem *convulsionis* speciem torquebatur. Hæc mala cùm se per vices intenderent, atque remitterent, mense Augusto, qui nonus ab initio fuit, exacerbata sunt supra modum. Evenit tandem, ut post terribiles cruciatûs spontè concitata vis naturæ *Angvillam vivam per posteriora detruderet.* Erat illi legitima forma cum tota specie, crassitudo pollice major, longitudo pedis unius & dimidii; aderant illi & squamæ, & oculi, & spinæ, & cauda, universim ut in angvillis solet: jacebat diu inter fæces veluti exanimis, sed conjecta in urnam aquâ plenam, revixit denuò. Cessarunt ab hujus excretione dolores illi extremè feroces. Angvilla, quam mortuam exenteratamque suspenderant loco sublimi, ab animalibus tuto, repentè evanuit. Puella interim

Veneni suspicio.

Symptomata.

Angvilla per alvum excreta.

Vomit. enorm. cœpit *emovere* ingentem *aquosi humoris* copiam, *humano lotio non absimilem*, saporis absurdi. Duravit ea vomitio plus quatuordecim dies, singulis profectò exonerans supra *libras viginti quatuor*; nihilominùs urinam interdiu bis tervè copiosam reddente ægrâ: nullus in ventre tumor, nulla in toto corpore inflatio exteriùs apparuit, & ipsa Puella potus ac cibi paucissimi, vix unum cyathum vini aut cerevisiæ, aut alterius liquoris, potitavit, ajebatque, multùm sibi *dolere sinistrum latus* ab eo tempore, quo Angvillam excreverit, imò & dudum antè, sed priùs fuisse alicujus ponderis sensum, nunc etiam *morsum & acrimoniam* accessisse; quin cùm validiùs premeret, offendi se graviter, dixit. Ubi per 14. dies ingens illius aquosi humoris copia profluxisset, cœperunt & *Pili* confertim exire per vomitum, copiosissimi numero, *digiti longitudine*, sed *longiores* alii, alii *breviores*, ejusmodi sanè, quales annosis canibus evelluntur; auctaque est indies ea *Pilorum* quantitas, ut facilè pilas quamplurimas justæ magnitudinis implere potuerint: ejecit hos omnes magno fastidio ac vomitûs difficultate,

Pili per Vomitum excreti.

Deliquia animi. ac jam circa vesperam *Deliquia quædam* animi admiranda contingebant: supinam sese subitò ex uno latere in aliud jactavit tanto impetu, ut, nisi coërcita, *caput* promptissimè in adversum *parietem*, vel spondæ vertices, *impegisset*.

Contractura manuum. *Manus contractæ* erant tam validè, ut nulla vis posset effringere. Interdum manu subitò reductâ, pectus percutiebat tanto sonitu, ac vehementiâ, ut magno in periculo fuerit, ne ullum præcipuorum viscerum lethali vulnere violaret. Durabat istud per horas interdum duas: in paroxysmo neminem agnoscebat. Sæpè velut ab utero suffocata *rubebat* insigniter, cum lassitudine quadam, ac sensim eborientis *Febriculæ* rudimento. Semel atque iterum *spumeum* quiddam *circa os* apparuit. Contigit semel sub pa-

Fletus & Risus. roxysmum, *ex risu in fletûs, ex fletu in risûs*, maximos, solvi. Præterea nonnulli vomitus, qui *floccos ingentes Pilorum*

ejice-

ejicerent, cum purulenta materia, instar saniei, interdum simili *stercori columbino aut anserino*, in qua colluvie & *frusta lignorum*, & membranarum tenuia rudimenta, sed *lignorum partes* adeò vivæ, ut ex caudicibus obsoletis diffractis inæqualiter comminutæ portiones viderentur, ungvis amplitudine, aliæ crassitudine, intùs fungosæ, foris obductæ vetustiori cortice nigro. Paulò pòst cœpit alius vomitus ater, ut carbo, dixisses atramentum verum, vel sepiæ succum, imò carbones veros minutissimè tritos atq; permistos, singulis diebus prodeuntes, ad quantitatem librarum duarum aut trium, sæpissimè cum Pilis tam copiosis, ut nuci juglandi includi non possent, omnibus albis, prolixis, & duriusculis. Quæ cùm per triduum ita durassent, ejecit semel *puri Sangvinis*, tanquam â vena dissectâ, *libras duas*, nulli rei alterius generis permixtas. A *vomitu sanguinis* rursus secutus est ater, ac si antimonio tinctus fuisset, humor omnino liquidus, *in dies ferè singulos ad libras 5. aut 6.* Atque hoc portentum septimanam integram *constanti horarum lege & spatio perduravit*. Tum relinquere cœperunt Epileptici paroxysmi, qui primùm diebus singulis affligentes, postea non nisi per tertium diem, ac postremò per septimum repetierant. At Virgo interea *Pilos* adhuc, sed pauciores, gradatimque atriores, *excernebat*, imò & breviores indies; & cùm priùs ex *flavo ruffescerent*, paulatim *lividi, nigri*, tandem *aterrimi*, ac velut dissecti in frusta minutissima reddebantur, quandoque & cum his *virulentus humor & crassus*, quandoque similis limo. Circa Septembris medium *Membranæ frusta majora*, tanquam *ventriculi partes*, evomuit; habebant hæc speciem *Tunicæ crassioris*, carnosæ, lentæ, fractuque contumacis; quibus profectò (ut *fætus involucro choroidi*) etiam *Venarum* ductus inarati ramosâ propagine spectabantur, interdum medii palmi longitudine. Has aliæ sunt è vestigio subsecutæ tenuiores multò, sed penitùs nigræ, *Venarum* duntaxat vestigia

Pili, Ligni frusta, Stercus columbinum & anserinum, Vomitu rejecta.

Carbones & Atramentum per Vomitum rejectum.

Vomitus Sanguinis enormis periodicus.

Pilorum per Vomitum excretio.

Membranarum per Vomitum rejectio.

Itemq; Venarum & Tunicarum.

ſtigia referentes, alioqui membranæ *alantoidi* non abſimiles. Poſtremò venerunt & tertii generis *Tunicæ*, vaſorum prorſus expertes, aliarum omnium tenuiſſimæ, ut *locum amnii* retinerent. Poſtquàm haſce membranas ejecit, ſecuti ſunt *Lapides ferè innumeri*, quos veſperi ſemper, hâc ſtatâ horarum periodo, magnis cum tempeſtatibus, animiqúe deliquiis eructabat. Semel ejecit quendam *Lapidem angulosum*, vix cum duplicis caſtaneæ mole librandum: hæſit is per horæ quadrantem, aut plus eo, in oeſophago, ſic, ut tumor inſignis ipſum oſtenderet in interna gutturis regione: eodem temporis ſpatio omni pariter & pulſu & reſpiratione deſtituta permanſit, ut ne pluma quidem ori oppoſita moveretur: manus pedesque frigidi: corpus rigidum, inſtar ſtatuæ, ut nihil ampliùs ſpei vitæ reliquum eſſet, donec ſubitò rurſus movebatur, atque oculos aperiebat, atq; è veſtigio *magnam ligni portionem pollicis longitudine pariter & craſſitie*, ſed minori difficultate excrevit. Interea tamen & *Pili* per vices, ſed minores, ordine pauciores ac nigriores. Puella quoque in ſummum *Strangulationis* periculum venit: os enim triangulare ſolidum forìs, intùs cavum ac ſpongioſum reddidit; nec morâ, ſequenti die *articuli oſſei, tali, digitorum acies*, rotulæ variæ ſpeciei & magnitudinis, prodierunt. Interdum tamen & Pili & Lapides intermixti, atq; omnium poſtremò *Vitri* & *Æris* portiunculæ. Poſtquàm hæ portentoſæ excretiones conquieverunt, Virgo aſſiduis ærumnis valdè concuſſa ac decolor remanſit, *Ventre ſubtumido*, cum *Anorexiâ*, tanquam ad hydropiſin valetudo univerſa ſpectaret, ſed ſolo *decoct. rad. eryngii, aſparagi, iridis Illiricæ*, ac *zarzæ*, reſtituta convaluit. Ajebat, tumorem ſibi relictum in inguinibus, qui tentatus digitis, ac cedere viſus, hernia flatuoſa, ex vomitûs violentiâ ſubnatâ, judicata eſt. Ex *Cornel. Gemma de Natur. divin. Characteriſm. Libr. 2. c. 4.*

Lapidum per Vomitum rejectio,

& magni fruſti Ligni,

nec non Pilorum,

it. Oſſium.

Medicamenta. Convaluit.

CASUS VI.

Puellæ novem annorum, quæ, post perpessa gravissima Symptomata, Motusque convulsivos corporis & abdominis stupendos, Vomitu rejecit Stercus equinum, Aciculas, Plumas, Pilos, Fila, Vitri frusta, Clavos, Cultrum ferreum, Putamina ovorum, Conchilia, Straminis fasciculos, Ligulas, & quæcunque Venefica antè in corbe gestavit, deinde omnia liquida, Carnes quoque, & Panem fastidivit, solosq; Fructus horarios per dies 40. comedit, tandem etiam ab omni cibo & potu abstinuit per 15. dies, & tamen iterum conualuit, solâ aliquandiu remanente periodicâ Melancholiâ.

NOnum agens annum *Puellula* formæ pulchritudine, generis claritate, morum modestiâ, nulli suarum civium secunda, à Venefica stipem petente, cui panem primùm, deinde & cerevisiam rogata dederat, folio acetosæ donata, vix illud incauta deglutivit, cùm *doloribus* statim *alvinis* torqueri, toto *corpore* primùm *contremiscere*, dein & *convelli*, demùm *animo linqui*, &, *ut mortua cadere*, cœpit. Vocati Medicus & Medica (nam Trajecti ad Mosam, ubi res contigit *anno Christi* 1625. *mense Majo*, etiam sequior sexus medicinam facit) tentatis vulgaribus remediis, cùm per multos dies nihil proficerent, & interim *Filiola* creberrimis paroxysmis lacesseretur, *ut fert mos patriæ, ad Exorcistas itur*. Capucinus Sacerdos officio illi delectus, vix rituali libro manum admoverat, cùm *Filia* malè à Diabolo vexata, in formas, quas qui oculo non vidit, animo ægrè concipiet, corpus rotare, dein vomere, cœpit *stercora equina, acus, aciculas, pilos, plumas, fili glomeres, vitrea fenestrarum fragmenta, clavos, rotis bigarum vel quadrigarum eductos, cultrum ferreum, spithamâ longiorem, ovorum putamina, conchilia.* Observant interim Parentes *Filiæ*, & vicini, quòd quàm primùm Venefica ædibus veneficiatæ appropinquaret, aut eminùs etiam â ducentis

Puellæ 9. annorum.

Symptomata.

Anno 1625. Mense Majo.

Exorcistæ consulantur.

Motiones corporis stupendæ.

Vomitus Stercoris equini, Acicularum, Pilorum, Filorum, Vitri frustorum, Clavorum, Cultri ferrei

Putamimum ovorum, Conchilium. centis passibus domum versus oculos torqueret, miseram *Puellam* longè pejus vexari, nec ullo modo à paroxysmo liberari, aut vitæ signum edere, donec illa longissimè à domo abesset. Capitur itaque Venefica, & hoc, & alia veneficia fassa, ignibus, laqueo strangulata, pœnas dedit. Rogata à Patre Jesuita, ipsam ad supplicium, consolationis ergò in agone ultimo & momento, à quo pendet æternitas, comitante, cùm jam laqueum collo aptaret carnifex, ut *Puellæ* venificium solveret, negavit, se posse, eò quòd post datum veneficium, quatuor temporum, quos vocamus, dies intercesissent: *Filiam* etsi suum ipsa scelus destrueret, non tàm citò convalituram. Duas enim alias, quas nominabat Sagas, etiam sua ipsi lethalia dedisse pharmaca, à quibus ægrè, nec nisi multo pòst tempore, expediri posset. Itaque, ut in re desperata, Parens ad me ducit *Filiam* medio Septembri, quam ego aliquot septimanas penes me habui.

Puella non potest ferre Capucinum.

Quæ tum viderim, audiverim, tetigerim, quia scio, fore, ut multos inveniant Medicos, maximè à Pontificia fide alienos, incredulos, & fidem narrationi meæ non habituros, ita me Deus amet, ut verissimè scribam quæ vidi. Postridiè quàm domum meam venisset infelix *Puella*, Patrem Capucinum Modestum, qui etiamnum Leodii vivit, accersendum curavi; Illo quinquagesimo huc passu à cubili meo distante, *concidit exanimis Puella, credebam mortuam,* cùm ne transpiratione quidem vivere se, testaretur. *Manuum pedumq; digiti*, quod nisi vidissem, & tetigissem, ægrè crederem, sic erant vel *retorti*, vel *convulsi*, ut *extimus* seu *tertius articulus secundo ita hæreret*, quod sanè naturaliter vix fieri potest, ut arctissimo glutine aut visco in unum coaluisse viderentur.

Convulsio manuum pedumq; digitorum.

Tentavi acum auream crinalem interponere, idem expertus sum clavo ferreo, fuso ligneo, frustrà calente ferro, ultimis diebus, nihilo plus profectum. Mater viso *Puellæ* casu, (nec enim unquam vel uno passu ab illa aberat,)

Capu-

Capucinos jam jam adfore dixit: dictum, factum; adhuc illâ loquente, pulſantur fores. *Ingreſſis Capucinis*, accenſo cereo benedicto, veſtito ſacris indumentis Exorciſtâ, cùm prima exorciſmi recitavit verba ex Evangeliis petita, *Puella*, quæ huc usque omni cadavere immobilior jacuerat, toto corpore tam *vehementer concuti cœpit*, manente tamen eodem omnino ſitu digitorum manuum, pedumque, ut à nobis ſex contineri nullo modo poſſet. Ego, qui caput ſummo conatu continere conabar, me invitiſſimo, ipſam cum collo ſcapulas verſus torqueri, *Opiſthotanosâ convulſione*, viſu, tactuque obſervabam.

Puella ad Capucinorum adventum convellitur.

Opiſthotanus.

Imus interim *venter* in altam elatus molem, modò *gutturi vicinior* erat, quàm *femoribus*, tanto cum *ſtrepitu* & *inteſtinorum borborigmo*, ut ultra decimum paſſum ab omnibus exaudiretur. Similimus a. erat hic ſtrepitus illi, quem, ſub navium prora, aqua ventis concita, fluctuansque excitat. Interim aliqua ſupradictorum *Puella* evomit. Miſertus Filiæ, rogavi Exorciſtam, lectionem differret. Vix ultimam protulerat ſyllabam, cùm, ut priùs, momento citiùs, quietiſſima jacebat. Ipſo deinde domu egreſſo, & aliquousque progreſſo, *Puella* digitis explicitis, apertis oculis, ſtatim ſurrexit, cùmque parum fleviſſet, matremque, quòd Capucinos, quanquam ſibi nec viſos, nec, ut dicebat, auditos, domum vocaverat, objurgaſſet, ſtatim cum coævis, ceu nihil paſſa, luſit, bibit, comedit, donec, redeunte ad officium *Capucino*, eadem *pateretur*. Vidi interim, ejici multas *plumas*, *faſciculos ſtraminis*, pollice meo craſſiores, transverſis *aciculis* confixos, *ligulas ex filo textas*, variis coloribus diſtinctas, quaternionem denique *acicularum cœruleæ chartæ infixarum*, ſicut in proxenetarum officinis proſtant, integerrimum, & jam jam empto ſimilimum, denique omnia, ut ajebat innocens *Puella*, quæ in *Veneficæ corbe*, cùm mendicaret, viderat, quod ſanè Diaboliſmum ſapit, captumq; omnium Philoſophorum excedit.

Ventris motus inſolentiſſimi, cum borborigmis.

Vomitus abſurdorum.

Filia Capucinum tolerare nequit.

Plumas, Faſciculos ſtraminis, Aciculas, Ligulas, & omnia, quæ Venefica antè in corbe habuit, Vomitu rejicit.

Quâ enim vi, quæ in ſporta ſingula viderat, tanto numero aucta, in ima ejus viſcera agi potuerunt, Diabolo non operante? Cœterùm cùm *omnia ſicciſſima*, *nec bilum madentia*, *exſpuerentur*, dicebam ego Capucinis aliisque, qui aderant, Philoſophis, (vocabam enim plures diſcendi cupidus) *oculos noſtros faſcinari*, atque *hæc non è corpore educi*; quî enim ſine ſanguine, tot aciculis pungentibus, fieri poterat? quomodo non ſolvit continuum acutiſſimus culter per anguſta puerilium faucium tranſiens? Sed *à Cacodœmone nobis illudente* aliunde petita è primis Filiæ labiis in manus meas mitti, meque Ovidii Verſum ad hunc diem mihi non intellectum, jam longè intricatiorem experiri. Is eſt in *Epiſtola Hypſipyles ad Jaſonem*, cùm ait:

Hæc rejecta revera non provenire ex ore Puellæ.

Ludibrium Diaboli.

Devovet abſentes, ſimulacraque cerea fingit,
Et miſerum tenues in jecur urget acus,

de Medea triveneficâ ſcribens. Sed mihi nodum ipſa Puella, ut erat diſputantibus mixta, & ingenio ſupra ætatem felici, expedivit. Ne dubitate, inquit, quin hæc ex imo mihi ducantur corpore, ſtatimque *manum meam apprehenſam faucibus ſuis admovit*: ſentias, inquit, aciculam ſine capite adſcendentem, brevîque exituram; *ſenſi*, moxque arctiſſimis ſiniſtræ manûs digitis *aciculam in gutture tenere me credens*, illam eripi mihi percepi, ſtatimque visâ *Puellâ* in ſputum pronâ, dextrâ *manu acum excipio*, quam adhuc multis monſtratam incredulis, cum *ligulis*, *plumis*, *filis*, *ſtramine*, aliisque, curioſis oſtenſurus, ſervo. Eodem modo aliàs ſæpiùs in ipſo adhuc Ventriculi orificio *ligularum principium tetigi*, illisque adſcendentibus, & per os exituris, omnes, quos ea cura tangebat, in mediis faucibus, ligulæ finem comprehenſum ſe tenere poſſe, putabant, Cacodœmone conatus eorum ludente.

Rejecta hæc revera ex corpore Puellæ prodiemunt.

Cùm Leodii aliquot ſeptimanis nihil profeciſſent exorciſmi, matrem religio inceſſit, ducendi *Filiam* Huum, ad

facel-

ſacellum divæ Virgini ſacrum, nuperrimè ſtructum, jamque miraculis celebre creditum vulgò. Ibi dum novendiali ſacro vacant, & mater, & qui illam comitabantur amici, quotidie animum confeſſione expiatam ſacrâ Synaxi reficientes, dum nihil ſe proficere obſervant, *Puellam* prioribus malis nullâ ex parte levatam, inſuper non dico *hydrophobam*, ſed *hygrophobam*, domum meam mœſtæ, & ſpei jam caſſæ, *Filiæque* mortem, quod & ipſa faciebat, Superos orantes, reducunt.

Puella omnia liquida, Carnes, & Panem averſatur.

Rediit ad me, adoleſcente jam Autumno, non *vinum* tantùm, *cerevisiam, hydromeli aquam omnem, faſtidiens*, ſed & *carnes elixas*, & *panem* jure vel vino maceratum, tandem & panem ſiligineum & frumentaceum; credo, quòd hic lacte, ille aquâ ſubactus eſſet, more noſtro. Itaque totis quadraginta diebus ſolis *pomis*, *uvis paſſis*, *nucibus*, *amygdalis*, aliisque fructibus horariis eâ tempeſtate veſcis, vitam ſuſtentavit, nec tamen interea roſeo genarum rubori, aut lacteæ frontis nivi, quicquam deceſſit. Demum *totis quindecim diebus & noctibus nec cibi*, *nec potionis quicquam aſſumpſit*. Quomodo tot dies jugi inediâ imbibeſiâque tranſegerit? neſcire me, fateor; rem ita ſe habere, ſanctè aſſevero, & mecum omnes domeſtici conceptiſſimis verbis illud jurabant.

Fructibus horariis tantùm veſcitur.

Abſtinentia ab omni cibo & potu per dies 15.

Die ſedecimo cùm potum ultrò petiiſſet bibiſſetque, cibos non amplius reſpuit. Ad naturalia medicamenta, non omiſſis ſacris exorciſmis, redeundum ratus, paravi illi *Decoctum ex fuga Dæmonum*, *abrotano*, *artemiſiâ*, *verbenâ*, *callitricho*, *roridâ*, aliisque, quæ veneficorum vim retundere poſſe, creduntur, ſicq; potui iſti aliquo modo aſſvetam, domum remiſi. Interim excuſſis omnibus, quos reperire erat, libris, in Bartholomæi Carrichteri Secreta incidi, qui *cap.* 12. *Lib.* 2. medicamentum deſcripſit huic malo idoneum. Hoc cùm in *Epiſtolis Medicinalibus Horſtii Epiſt.* 1. *Sect.* 7. in *Literis Hectoris Schlandii*, Medici Wormatien-

Curatio.

Decoctum.

matienſis, ad Gregor. Horſtium *anno* 1612. datis, valdè commendatum legiſſem; & ad ipſum, & ad Pharmacopœos Francofurtenſes, in quorum Officinis illud proſtare, ſcribit, Literas dedi, & Unguentum, & ejus deſcriptionem, quantolibet vellent pretio, redempturus. Cùm ab illis nihil reſponſi acciperem, & interim ſaluti Puellæ nocturnis, diurnisque cogitationibus, vacarem, Carrichtero in manus reſumpto, eoq; ob Typographi vitium (expreſſit enim Holtzbletter) unâ voce, quod tribus conſtat, ægriùs intellecto; ſerò tandem, quia materia ad manum non erat, expleto ferè anno, *Unguentum* hoc concinnandum curavi. Ejus hæc eſt deſcriptio:

Unguentum.

℞. *Adip. canis* benè liquati & mundati ℥iv.
urſi ℥viij.
capon. ℥xij.
tres truncos viſci colurni adhuc virentis, fruſtatim ſectos, & tuſos, dum humeſcant; contunde autem ſimul *lignum, folia, baccas.*

Modus utendi Unguento. *Puella convaluit.*

Miſce omnia in Phiala, quam Soli novem ſeptimanis cùm expoſueris, virentem balſamum extrahes, eoque *veneficiatorum corpora, loca maximè dolentia, & juncturas, inungendo*, certo experimento curabis, ut de hac *Puella* conſtat, *quæ jam à triennio integerrimâ fruitur valetudine,* niſi quòd ipſis quatuor temporum diebus, quicquid agat, *melancholiâ quâdam fugaci* corripitur. Quæ cauſa fuit, cur deſcriptionem hanc ab aliis celatam, à Carrichtero non niſi Germanicè & vitioſè editam, publicæ utilitati Latinis Literis ſincerè donarem.

melancholiâ periodicâ remanente.

Nota de Viſco corylino.

Hîc notate (1.) in *Corylo* non naſci *viſcum*, niſi poſt annum centeſimum, ut mihi adſeruit Nobiliſſ. *Dn. Drimborn, Toparcha in Doorwiis* in Agro Juliacenſi (& ſcribunt omnes, non niſi in annoſis quercubus viſcum inveniri) qui ex ſua arbore ejus copiam mihi fecit: (2.) *Colurnum viſcum* epilepticis, aliiſque capitis affectibus obnoxiis quer-

querno longè utiliorem, quæ communis eſt Chymicorum, aliorumque experimentatorum opinio, atque ego id ſæpè jam expertus ſum, nec alio deinceps, dum poſſum, viſco utor. *Henric. ab Heer Obſervat. Medic. oppidò rar.* 8.

CASUS VII.

De Puella XVIII. annorum, ex cujus licèt Mammilla ſiniſtra à Saga contrectatâ, hincque admodum doloroſâ redditâ, Sangvis & Vitri longum fruſtum proſiluerit, nihilominus reſtitutâ.

PRæteritâ æſtate, in foro publico vangionum, *Puella* quædam *octodecim annorum*, pro conficiendis infantum pultibus farinam coemptura, à Vetulæ cujusdam manu, circa *mammillam ſiniſtram, contrectatur*. Famula domum reverſa, inter prandendum, *acerbiſſimos* perſentiſcit *dolores*, quibus indies ingraveſcentibus, tertio die *ſanguis*, unà cum *fruſtulo vitri* longiori, ex papilla egreditur. Res mihi Collegæque D. Fettich, non parùm ſuſpecta, ad Senatum defertur. Vetula, multorum opinione, habita Saga, carceri incluſa, examini torturæ ſubmittitur. Illa verò ne hilum faciens, omnis generis tormenta, ſtatim cum ſtertore, inſtar Apoplecticæ, obdormiſcit, non perſentiſcens virgas, nec carbones ignitos, nuchæ impoſitos, nec candelas ſub axillis ardentes. Creſcentibus tormentis, expergiſcitur à ſomno, nec quicquam de perpeſſis doloribus conqueritur. *Puella* verò intoxicata, in *utraque mammilla* varia habuit *tubercula*, quibus diſruptis, nonnulla *Steatomatis* formam, reliqua *Meliceridis* ideam, repræſentabant. Inter varia adhibita medicamenta, *Theriaca, Vnguentum* Carrichteri, & *Decoctum Lign.* cum *ſcorzonera* & *Vincetoxico*, plurimum valuére. Brevî, uti ſpes eſt, ſanitati reſtituetur.

Puella annorum XVIII.

Dolor Mammarum.

Sanguis & fruſtum Vitri ex Mammilla.

Tubercula Mammillarum Steatom. & Melicer.

Hic caſus duplicem potisſimùm movet dubitationem: *I. An per Contactum Faſcinatio fieri poſſit? II. Num*

Quæst. I. *II. Num per Fascinationem introductus Morbus, ex methodo, mediis naturalibus curari queat?* Utrumque videtur innuere hæc Observatio, ubi prius, videlicèt per
affirm. Contactum quendam Fascino lædi posse, confirmabitur ulterius iis, quæ solent adduci, dum demonstrare conantur, aspectu solo morbos introduci posse: at si aspectu, multo magis etiam contactu, cùm hujus operatio magis corporalis sit.

Imò marinam torpedinem, per arundinem [illegible] filum, piscatoris manui stuporem inducere, confirmat experientia, juxta Philosophum: cur ergo non concedamus, singulari quorundam proprietate, præter communem Naturæ cursum, communicatâ, per contactum dispositionem præternaturalem introduci posse?

Petrus Pomponatius Lib. de Incantation. mira propo-
neg. nit hac de re. Scio, quid statuat *Biermannus*, *Wierus* & alii, qui nec aspectum, nec contactum Vetularum lædere posse, contendunt, sed vel effluvium malignum, adeoque contagium, vel persuasionem, & timorem, accusant, à quo facillimè quoddam incommodum suâ cognitione sibi conflare possint, præsertim ubi seminarium quoddam aluerint patientes. Verùm cùm potens sit Diabolus ex permissione divina, non video, cur non sæpiùs, connivente Deo, per Sagas nocere possit, idque mille modis, quod observationes admirandæ testantur, quanquam media externa per se insufficientia, sæpiùs etiam ridicula, videantur; quâ ratione tactum quoque minùs sufficientem judicamus rationibus iisdem, quibus utitur *Baptista Codronch. Lib. 2. de Morb. venev. cap. 3.* Astutâ verò promptitudine fieri puto, ut, permittente Deo, causis naturalibus excitatos tumores dolorificos, variis, & admirandis rebus, majoris doloris excitandi gratiâ, repleat, (de quo pluribus agit in *Epist. Langius*)

gius) quâ ratione primò vitri frustulum longiùs ex mammilla Puellæ secretum fuisse, scribitur. Recordor Historiæ, quam Illustrissimi nostri Cōsiliarius quidam, Aumicus meus singularis, mihi retulit, de Fratre suo, quem ante annos aliquot ex Incantatione gravissimâ Ophthalmiâ laborasse dixit, quotidie *magnâ Scoparum minutim incisarum copiâ per oculos egrediente*, ita ut scopæ purgandis ædibus destinatæ, vix emptæ, statim amitterentur, quibus ad excruciandum ægrum Dæmon abutebatur, quod hîc etiam, astutiâ malignâ Sagæ cujusdam fieri, suspicati sunt. Notæ sunt admirandæ observationes, quas hac de re collegit *Marcellus Lib. 2. Hist. Mirab. Cap. 1.* Mirum verò, quomodo tormenta, somniantium instar, Dæmoniaci perferant, quemadmodum præter experientiam confirmat id ipsum *Wierus*, qui *Lib. 5. de Præstigiis Cap. 11.* plura refert exempla, & modos, quibus hæc talia sibi se conciliare credunt. Ut ut sit, experientia confirmat, quòd, licèt absque sensu torqueantur, non tamen hoc accidit absque læsione corporis, quam subsequens partium imbecillitas satis confirmat. Quocirca non videtur absonum, vi quâdam narcaticâ principium αἰσθήσεως ita iisdem obturari astu Diabolico, ut instar Apoplecticorum nihil quicquam tormentorum percipiant; quâ ratione videmus, Epilepticorum corpora omni dolore destituta, licèt absque dolore (quem tamen ob læsum nervorum principium percipere nequeunt) partes convulsæ non tenduntur, unde post remissionem paroxysmi languor totius apparet.

Historia alia Incantationis.

Scopæ ex oculis egressa.

Altera dubitatio, quam supra descripta Observatio subministrat, consistit in eo: quòd *intoxicata Puella per convenientia media naturalia ferè restituta dicatur.*

Quæstio II.

Quanquam verò non desint, qui potiùs illicitis mediis, seu, ut leviùs loquitur Crollius, Magicè & supranaturaliter, juxta Paracelsum, procedendo, morbis per *Incantationem*

ex permiſſione divina productis, ſuccurrere conentur, eapropter quòd talium effectuum cauſæ altius principium ſupponant; nihilominus potiùs contrarium ſuſtinentibus ſubſcribo, propterea quòd Incantatio tantùm externæ cauſæ rationem habeat, utpote cùm Exemplum ſuperius confirmet, exulcerationem illam Mammillarum à natura Steatomatis & Meliceridis alienam non fuiſſe, qua de cauſa convenientia remedia ſuum effectum præſtiterunt optatum.

Improbatur.

Quemadmodnm verò cauſa externa, non niſi concurrente internâ, morbum producit, adeoque remotâ, quando morbus productus eſt, ad ſanationem non ſufficit; ita hic etiam interdum, ubi Morbus adhuc in fieri eſt, cauſis externis lædentibus, per ipſas Sagas ablatis, Ægrotantibus ſuccurritur; ubi verò Morbus eſt factus, internis humorum corruptionibus concurrentibus, ibi media naturalia requiruntur, quanquam dubitet hîc *Bapt. Codronchus Lib. 4. cap. 2.* ubi ex profeſſo Quæſtionem hanc tractat. Ex *Greg. Horſt. Oper. Medic. Tom. II. Libr. XI. obſ.* 16.

CASUS VIII.

Adoleſcentis XIV. annorum, qui, accepto venefico Pulvere, in inſolitam Laſſitudinem, ingentem Hæmorrhagiam narium, Vomitus enormes, Singultum, Convulſiones, aliaq́ gravisſima incidit Symptomata, Sanguinem etiam per Veſicam & Alvum excrevit, Pruritum capitis incurrit, toto corpore Cruſtis craſſis ac dolororisſimis obductus eſt, Sanguinem præterea ex Oculis & Auribus emiſit, Limacesq́ vivos per alvum ejecit, Pilos atq́ Ungues omnes amiſit, Omniumq́ oblitus eſt, & tamen tandem iterum convaluit.

Adoleſcens 14. annorum.

JUveni honeſto *quartum decimum* ætatis annum explenti, Juvencula, jam olim familiaris, ruri potum petenti, (erat enim ex itinere laſſus) ſub quartam pomeridianam amato-

amatorium *Pulverem in cerevisia exhibuit*, dicens: levandæ lassitudini non aliud præsentius esse remedium. Hausit ille avidissimè, moxque *soporatus*, totam noctem, ut fuit per omnem vitam multi somni, stertuit. Manè, & erat octava Resurrectionis Dominicæ dies, *languidus*, ac repenti, quàm ambulanti similior, post octo horas vix sesqui milliare confecit, quod pridie horæ spatio facilè emensus fuisset, domi lecto se committens, vocatis duobus, (nec enim tum Leodii plures erant) Medicis, leve pharmacum accipit, à cujus sumptione *hæmorrhagia narium* maxima secuta, mox & per os *thrombos ovo majores*, ut per omnia momenta suffocandus videretur, *screabat*, nec multò post, per *urinarium alvinariumque secessum*, *sanguinem* tantâ emisit copiâ, ut non modò aliquot matulas, sed & *situlam capacem impleverit*. Medici *Frictionibus*, validisque *Ligaturis*, post *Periapta* collo applicita, cùm nihil proficerent, ægro jam *singultiente* & *convulso*, ut ait ille,

Pulvis maleficus in cerevisia exhibitus.

Lassitudo insolita.

Hæmorrhagia narium.

Vomitus singularis.

Sanguis per urinam & alvum copiosissimè excretus.

Præsidia.

Singultus.

Convulsio.

- - - *cessére Magistri*
Phylirides, Chiron, Amythaoniusque Melampus.

Cur apertâ venâ revulsioni non vacaverint, nescio; res enim accidit anno octogesimo septimo, quo tempore Philosophiæ vacabam. Amici à Medicis desperato cùm varia Chirurgorum, Pharmacopolarumque remedia frustra admisissent, tandem Anûs veneficæ operâ sanguinem stiterunt hoc modo: Vetula ægri capiti tres vel quatuor pilos avulsos cruci stramineæ, & ipsi pilosæ, quam secum attulerat implexos, recitans nescio quæ verba, (audivi enim, sed non intellexi,) nocturno pileo applicuit; vix caput tangebat pileus, cùm staret sanguis. Illa discedens, omissis, inquit, Medicorum cibis & potibus, comede & bibe, quod voles, modò crucem non moveas loco, ab hæmorrhagia tutus eris. Quinto vel sexto pòst die æger immani pruritu, (& habebat caput, Titinnii verbo, pedibus obsitum) vexatus, molestiam non ferens, caput utrâq; manu scalpsit,

Sanguis sistitur à Venefica modo singulari.

Pruritus capitis.

ſicque crucem loco movit, ſtatimque ſanguis, ut priùs, undiquaque profluxit. Chirurgi acciti *Ligaturis* etiam ſolito fortioribus brachia, crura, manuum, pedumque digitos tam arctè ſtringunt, ut æger præ dolore lachrumaretur, ſed, quod ait ille in *nono Pharſalidos* ſuæ de Tullo ab hæmorrhoide ſerpente demorſo: *ſanguis erant lachrumæ.* Imò ſcribo, quod vidi, quod manibus contrectavi, aures jacentis, ceruminis loco, *ſanguinem* puriſſimum ſudabant, quem auriſcalpio ipſe eduxi. Tam atroci remedio non proficiente, rogante ægro, liceret ſibi indolenti, mori, ſolvuntur à vicinis miſerantibus vincula, ſanguinis exitu nihilo citiùs, aut ſegniùs ſe moliente; ita ut ab illo tempore, multò poſt medicinam ego faciens, ab illa *Ligatura*, vel potiùs, carnificina, ſemper abhorruerim, quicquid omnes Practici, *Ligaturas* non experti, ſuadeant.

Ligaturæ fortes noxia.

Lachryma ſanguinea.

Sanguis ex auribus promanans.

Cùm jam de morte, & æger ipſe, & adſtantes penè ſecuri eſſent, reducitur magnis precibus & pretio Canidia, quæ *ſolito veneficio ſanguinem* quidem *ſtitit*; cæterùm miſer *Juvenis* viribus deſtitutus, omnibus animam egiſſe viſus, & Alibantarum numero adſcriptus, pro more patriæ linteamini inſutus, in ſtramine humi deponitur: aperiuntur omnes feneſtræ, cortinæ, ſtragula, lectus auferuntur, adferuntur, qui cadaver excipiant, loculi, cùm æger ſolus relictus, ad ſe rediens, dextro brachio è linteamine expedito, menſulæ ſibi adſtanti nixurus, ipſam evertit, & cum illa, vaſcula quædam Lamiæ, vitreaque, quæ neſcio quid unguinum oleorumque continebant, effregit. Unde ſtrepitu facto, qui in inferiori erant, cubili, attoniti ſurſum currunt, viſoque, pro mortuo habito, ſedente, ac præ horrore & frigore tremente, dentesque concutiente, multis fugâ dilabentibus, Frater, quem habebat unicum, in adducto ſtans oſtio, metu ſemimortuus balbutiensque, vivisne, inquit, Frater? an lemorum quis nobis te mentitus illudit? vivo, inquit, ſed niſi mox *luculentum ignem* excitaveris, jam certò morier.

Sanguis eodem modo iterum ſiſtitur.

Semimortuus.

Ignis luculentus remedii loco.

Hæc

Hæc cùm tremulâ & feminea voce murmuraſſet, in dorſum concidit, iterum, ut putabatur, exanimis. Illato tandem *luculento foco*, calefactusque, qui toto quadrihorio, exeunte Aprili, quo tempore adhuc algemus quotannis, ſtrenuè in ſtramine jacuerat, potum petit; quo ſemel iterumq; recreatus, placido ſe dat ſomno, ex quo cùm poſt multas horas expergiſceretur, *ſudore copioſo* perfuſus, *pruritum toto corpore inſaniſſimum* ſenſit. Mox *cruſtis* pollicem craſſitie æquantibus *totum corpus obducitur*, ita ut extra volas manuum & pedum nihil vel aciculæ capite tangi poſſet, à cruſta liberum.

Sudor copioſus.

Pruritus totius corporis.

Cruſta craſſa in toto corpore.

Cùm interim medicata per epicraſin juſculo alvus ipſi moveretur, quatuordecim *Limaces magnos, rubros, cornutos, vivos, repentes, uno ſeceſſu ejecit*. Ab illo die quia *cruſtæ* ipſum *nec ſedere, nec jacere patiebantur, ſtetit perdius pernoxque totas ſex hebdomadas*, manibus perticæ craſſiori ab angulo in angulum cubilis tenſæ admotis. Toto illo tempore alienâ manu cibum potumque capere coactus eſt; ſi quando enim minimùm ſe moveret, dolorem tantùm non internecinum *cruſtæ* inducebant. Divaricatis ſtabat cruribus, quæ ſi urinâ vel alvinis fecibus tangerentur, mortem ſibi dolorum remedium ex animo precabatur. *Toti corpori obvolvebant linteamen, cremore lactis madens.* Si quando dormire cogeretur, veritus, ne vel thoracem perticæ admoveret, vel labantibus genubus muſculorum cruris cruſtæ finderentur, breves ſomnos, ſomniis ſimillimos, inſomnes ſanè, captabat.

Limaces vivi per alvum excreti.

Cruſta moleſtiſſima.

Ægrum ſtare oportuit per 6. ſeptimanas.

Cruſta doloroſa.

Æger linteamine cremore lactis madido obvolvitur.

Venit interim *Paracelſicus Artelio*, qui jam ſanari incipienti, (nam *cruſtarum* bona pars, & cum iis *omnes pili capitis, manuumque & pedum ungues deciderant*,) remedium dedit, quod urinis copioſiùs motis, ſanitatem acceleraſſe videbatur. Dixit ille tandem, hoc vocari *Lutum Paracelſi*. Et pòſt experientiâ didici, *calculum microcoſmi* exſectum non in lutum ſive liquorem verſum, ut ille propina-

Cruſtæ, pili, manuumq; & pedum ungues omnes deciderunt.

Lutum Paracelſi.

Aq. & Succ. nasturtii aquatic. bat, sed tantùm in *pulverem comminutum*, cum *aqua* vel *succo nasturtii aquatici* propinatum philtro potatis, vel erotico amore furentibus, multùm profuisse.

Hic Juvenis magnus illâ ætate Carminifex (Poëtam enim à mille annis non vidimus, versificatores plurimos) & primus in Rhetorica classe à morbo convalescens, etiam Oblivio omnium rerum. *proprii oblitus nominis*, fraterniqúe, adeò rerum omnium literarumqúe rudis fuit, ut nec verbum Latinum intelligeret, debuitque, ut Puer, ipsum alphabetum doceri. Quod eò minùs, quia memoriâ polluerat tam excellenti, ut *Puer* Memoria excellentia. *magnæ memoriæ* vulgò audiret, &, quod Julius Cæsar Dictator de se gloriabatur, quaternas diversis eodem tempore dictaret epistolas. Hic Juvenis quatuor condiscipulis diversa dictabat carmina, ipse interim quintum scribebat. Demum ad studia reversus Philosophiam publicè in Germania Galliâque professus, tandem Medicinæ se applicuit, atque etiamnum hoc anno 1630. in Patria Medicam artem Convaluit. exercet, *nullum ab eo tempore morbum expertus*, aut mole- Catarrho remanente. stiam, præter *catarrhos*, si quando poculis nimiùm indulserat, aut cœlo nivoso, Æoli, Jovisque injurias toto die, rus ad ægros vocatus, passus, carybariâ coryzâque vexabatur. *Henric. ab Heer Observat. Medic. oppidò rar.* 13.

CASUS IX.

Puellæ, quæ, perpessis variis gravissimis veneficio illatis Symptomatibus, Ligni, Plumbi, Vitri, Fistulæ nicotionæ, Carnis crudæ & recentis, frusta, Pannum coeruleum, Amygdalas, Silices, Spinas acutas, Crines, Glebam atram, Ligulam lineam, Aciculas, Paleas, Peram coriaceam &c. vomitu rejecit, cum Effusione Sangvinis ex Oculis, Ungvibus digitorum, & Mammâ.

Puellæ Fascinatio. MIrandum profectò Casum referam cujusdam *Puellæ*, præstigiis, ut videtur, Dæmonis in *Norwegia* irretitæ.

Puellæ

Puella, Anna Erici, circa Festum *Martini* 1649. domo horâ septimâ vespertinâ egreditur, cum Conservâ *Brigittâ Jacobi*, negotia matrisfamiliàs expeditura. Vix pedem extulerat, quum in area visum illi fulgur oculos perstringeret, cui, quamvis sereno cœlo & quieto, turbo sociebatur. Perterrita, Conservam acclamat, se *ægram* fatetur. Vix eloquuta, in *lipothymiam* incidit, dumq; humi sternitur, magna ante os *musca* videbatur volitare, & per fauces urgere descensum. Infertur in ædes pro mortua, & *epilepticorum insultus* imitatur. Morbi idea imprimis rara. Quandocunque passa est hoc symptoma, placidè inter domesticas operas in *syncopen* lapsa, continuis horis aliquot, occluso ore, recubuit quieta, oculisque clausis, & elevato thorace, morientium suspiria videbatur trahere. Paucis hebdomadibus ante Paschatis festum *dolor acerbissimus dextrum manûs pollicem* invasit, qui deinde ad universum transiit *brachium*, donec *foramine* in *dextra mamma* sedaretur. *Lipothymia. Musca. Epilepsia. Syncope. Dolor brachii. Mammæ foramen.*

XXVIII. Aprilis, sequentis *anni Dominicâ Misericord.* post meridiem magnam *sanguinis nigri* copiam *evomuit*, mox *acuti ligni frustulum*, *cærulei panni serici laciniam, filo viridi consutam*, in qua *tria plumbi frustula recondebantur*, *vitri frustula duo*, *tres amygdalas*, *tria fistulæ nicotianæ fragmenta*, *silices præterea albos*. Oculati testes præsentes erant *Janus Olai*, *Erasmus Eggelbertus*, & *Brigitta Canuti*. *Absurdissima Vomitu rejecta.*

XXIX. April. subitò rursùs vespertinis horis, miris comprehensa angoribus, *alia*, præsentibus *Pastore* Loci, ejusque *Conjuge Guldbrandâ Annevoldi*, *Tostelo Annevoldi*, & *Paulo Olai*, *eructavit*, nempe *spinam*, *marsupium lineum crinibus humanis constrictum*, in quo frustula aliquot *carnis crudæ recentisque* reperiebantur, *acutis lignis* hinc inde inspersis, *duas* deinde *spinas acutas*, mox *atram glebam*, cum *lapillo candido*, & *corrigiam* semidigitum longam. Hinc ad quartam sequentis diei horam sine cibo requievit.

Reversa ad se, advocatóque Presbytero, rursus evomuit *ligulam lineam digiti longitudine tribus nodis*, in quorum medio *acicula* hærebat, intorta cum *palea bifida*, in altero quoque *acicula incurva*. Successit postea alia *palea luto illita*, cui lamina stanni erat inducta.

Lapis magnus vomitu rejectus. *II. Maji*, circa vesperam, præsentibus *Theodoro Bermandtz*, *Famulo Locotenentis Bockor* Kuhwurchels / *Tuano Christierni*, *Brigittâ Canuti*, & *Johannâ Budeis*, *vomitu* prodiit Lapis pondere drach. 3.

It. Pera coriacea. *III. Maji*, in præsentia *Pastoris* ejusque *Uxoris*, exspuit *peram coriaceam crinibus humanis circumductam, pulvere pyrio repletam.* Omnes autem vomitus summi dolores comitabantur.

Symptomata alia. *VI. Maji*, ad noctem usque 20. & 21. *Junij*, mediocri usa valetudine, ad domesticos labores prompta rediit. Sed exinde rediére *anxietudines*, *jactationes*, & *dolores*, unde circa diluculum *sinistra mamma exulcerata multum profudit cruoris*.

Tertio pòst die sacrâ synaxi summâ devotione usa, querebatur, ventum quendam, vi, pectus penetrare, quoties spiritum duceret; inde spem concepit, brevi se morituram. Requievit, & brevi finito somno, adstantibus dixit, promissam sibi in somniis quietem ad crastinam diei horam septimam, & tandem sanitatem; nec se dubitare, quin Christus, Filii Centurionis Archiater, eâdem potentiâ morbum præsentem tollere & velit & possit. Ita in sequentem lucem somno reddita, sed cum stertore velut in agone constituta. *Mamma inopinatò restituta.* Excitata Mammam suam observavit à priori ulcere prorsus sanam, nec ullum cicatricis relictum signum, nisi leve vestigium cruciatim inductum ab *acicula* hunc in modum ✠. Hinc lecto relicto, promptè negotiis domesticis se accinxit.

In mamma sinistra foramen. *XIV. Junij*, sana alioquin, lectum repetere fuit coacta, circa crepusculum. Mox duo *sinistræ Mammæ foramina* sangui-

ſanguinem confertim effudére. Hinc in ſequentem diem ſummis doloribus affecta quievit. Interea promiſſa ipſi fuit ſomnianti ſanitas horâ ſextâ, ſenſitque in *gena ſiniſtrâ* & *Mammâ impreſſum digiti cujusdam veſtigium*. Poſt ſextam horam reviſit illam Paſtor, cum Uxore, dormientem, qui Mammam ſiniſtram ſuam animadvertunt, relictamque duorum quaſi digitorum impreſſionem, per quinque quoque dies perſeverantem. Convaluit his viſis, & res ſuas curavit.

In mammæ & gena impreſſio digiti.

XIX. Julij, manè, oppreſſo corde, *tentationes mali Spiritus* exaudire ſibi videbatur, ad deſperationem incitantis, cui tamen maſculo reſponſo, plenâ fide, & in Deum fiduciâ, ivit obviam.

Dæmonis tentationes.

XXIII. Junji, inſtantes prævidit *tentationes*, quas animosè precibus cum Presbytero fuſis ſuperavit. Poſterâ die apud ſe deprehendit luctam boni malique ſpiritus, Satanamque duorum dierum inducias adhuc expetere; ſed reſponſum à Deo fuiſſe, horam duodecimam migrationi eſſe deſtinatam. Hinc à malo anxiè vexata, hinc inde vermicelli inſtar jactata, victrix tamen in hæc prorupit verba: Neque vita, neque mors, Angeli, aut Dominatus ſeparabunt me à dilectione, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Servatore meo. Poſtea quieti traditam inviſit Paſtor, viditque, in *ſiniſtra gena* expreſſam hanc *crucis figuram* ✠. ejusdemque *aliam in Mamma*. Ipſa quoque excitata, audiviſſe ſe referebat ex ore cujusdam: Ego ſum verus Iſraëlis Medicus. Poſt horam rurſus benè valuit.

Preces ſinceræ.

Figura Crucis in gena & mamma.

XIII. Auguſti, in culina veſpertino tempore in caput illius fruſtulum terræ decidit, in qua planta virens quinque foliis ſemidigitum alta, cum Geranii ſpecie, quam Storckeneb vocant, & alia floribus violaceis.

XV. Auguſti, circa diluculum inſolitam ſenſit *virium debilitatem*, unde timoris plena, Presbytero advocato, fuſis lacrymis referebat, ſibi in ſomnio ſignificatum eſſe, ſiquidem

Virium debilitas.

dem dura mortalium ſint ad mandatum Dei, Evangelii, Miniſtrorum divinorum obſequia, in ſe ſingulare exemplum hodie eſſe ſtatuendum, lacrymas quippe ſuas in cruorem eſſe mutandas. Dum igitur in ſpectaculi fidem advocantur vicini, antecedente ingenti anxietate, *lacrymæ* ipſi confertim erumpunt horæ quadrantis mediæ ſpatio, moxque ex *oculis ſanguis* exſilit, qui abſterſus ſæpiùs, ſtatim fluxum repetiit. Deinde *ex radicibus unguium ſanguis* erupit maximo dolore, denique ex *apertis mammis cruor* ſat copioſus emanavit. Horæ ſpacio hæc terminabantur, præſentibus viginti teſtibus, qui actum cum illa jam certò credebant. Sed ſedatis nonnihil ſymptomatis, præſentes ita affatur: Mortalibus auctor ſum, ut me ſibi proponant exemplum, & pœnitentiâ delictorum, dum licet, ducantur ſeriâ, ne ſimilia his, aut majora, vindictamque Dei, experiantur.

Lachrymæ ſanguineæ. Sanguis ex Unguibus digitorum & Mammis erupit.

Quod ſi verò, abjurato Diabolo, vitæque impiæ nuncium remiſerint, & Deo piè vixerint, germinabunt flores foliaque illorum in æternum.

Mamma reſtituta.

His ita actis, ſomno & quieti reddita, Mammâ penitùs perſanatâ, aliquot tamen diebus dolore in Mamma oculiſque perſeverante.

De horum fide teſtatur propriâ manu Dn. *Paulus Nicolai Friis*, Loci *Paſtor* 17. *Auguſt.* 1650. ex ædibus paſtoralibus Lumbs in Guldbrandsdalen, & rei actæ hiſtoriam ad Superintendentem Chriſtianenſem, M. *Henningum Stockfleth* perſcripſit, qui, ut ad plures fama perveniret, eandem ſummo viro D. D. *Olao Wormio* Hafniam transmiſit.

Thom. Bartholin. Hiſtor. Anatomic. rarior. Cent. 1. *Hiſtor.* 52.

CASUS

CASUS X.

Pueri XIV. annorum, qui ex Ulceribus Officula & Spinas piscium emisit, atque Singultu horrendo Ungues, Pilos, Aciculas, Globulos ferreos & stanneos, item Ligni frustum certis Literis notatum, rejecit, deinde Motus convulsivos Digitorum, Ventris, & Pectoris, cum Cervicis reflexione, Oris clausurâ, & Furore, passus est, & tamen tandem iterum convaluit. Addito Judicio de Veneficiis, de quibus dubitatur.

MItto Observationem de *Morbo Magico*, quam propriis oculis confirmatam ad me nuper misit D. *Dietericus Eckhovius*, Medicus Bergensis Eruditus, olim Discipulus, jam Amicus. *Magicus morbus.*

Bergis *Puerum XIV. annorum*, ante biennium, totius corporis *lassitudo dolorosa* corripuit, cum *ulceribus*, quæ unà cum pure modò *officula*, modò *piscium spinas*, emisere. Sex forsan elapsæ sunt septimanæ, ex quibus in *singultum* incidit valdè horrendum, quo *ungues*, quos *pili* omni ferè ex parte instar funiculorum partim circumvolvebant, partim inter se connectebant, *aciculas incurvatas* sibi invicem catenatim insertas, *globulos ferreos* & *stanneos*, tandemq; *ligni frustum* longitudine dimidium pollicem æquans, cum sequentium *Literarum* levi incisione *S. M. P. D.* rejecit, summo spectantium stupore, & admiratione. *Puer XIV. annorum. Lassitudo dolorosa. Ex ulceribus officula & spina piscium excreta. Literæ ligno incisa.*

In paroxysmi principio *dolorem* quendam in *digitis sursum*, paulatim crus petentem, cutemque, instar muris, erroneo motu mox attollentem, moxque deprimentem, percepit, quem mox (si tamen ita appellare liceat) *digitorum motus convulsivus* est subsecutus, organotriben, vario digitorum flexu, *Musicum quoddam melos* ludentem, perfectissimè *æmulans*. *Venter* interea & *pectus*, fluctuum more, undoso motu, mirâ vicissitudine *modò elevabantur*, *modò subsidebant*, cum *cervicis reflexione* admodùm tortuosâ. *Dolor digitorum à crure ascendens. Convulsivi motus digitorum. Ventris & pectoris motus singularis. Cervicis reflexio.*

Singultus. Hæc tandem enumerata ſymptomata finiit *Singultus*, jam nominata artificialia ventriculo exturbans, ea linguam *Oris clauſura.* dentibus (quos *arctiſſimè claudebat*, neque unquam, niſi digitum ori admoventis, eaque, quæ intra dentes latitabant, eximere volentis, admorſurus, movebat) agitatione variâ *bis cuncta deglutit Puer.* allidendo, ingratum movit ſtrepitum. Cuncta autem, quæ ventriculo ita ingurgitabat, bis iterum deglutiit, repetente interim prædictum ordinem totâ ſymptomatum ſerie, quæ, tertio tandem convulſivo ventriculi motu finito, *Aciculas & Ungues continuè dentibus Puer retinet.* ægrum torquere deſierunt. *Difficillimum* tamen fuit, *aciculas, ungues* &c. quos linguæ extremitas ore ſubinde exſerta continebat, *excutere*, cùm quamcunque adſtantium ſummam etiam manuum agilitatem ſubitaneâ linguæ retractione eluſerit, dentibusque petierit, ut etiam vix, nec ſine periculo, digitum morſui ſubtrahere potuerint. Et hoc omne oculis peregit exactè clauſis. Aciculis reliquisque *Rabies can.* tandem decuſſis, *inſtar rabidi canis*, quodcunque obvium, *dentibus invaſit*, ſicque aliquot horas, viribus admodum fractus, ſummâ cum imbecillitate jacuit.

Viribus tandem aliquando collectis, totam diem & noctem quietus ſanoque non multùm diſſimilis tranſegit. *Ve-* *Venefica.* *nefica*, cui nomen Synnewee (quod primâ ligno incisâ Literâ S. indigitare voluit Pueri cognata) non ita pridem carceri eſt tradita, quæ tamen ſibi ipſi, ante inſtitutum à Magiſtratu examen, linteamento quodam gulam fregit. Rogum tamen, quem viva evaſit, ſenſit mortua, adſpectan- *Puer ad rogum Veneficæ defertur.* te id ipſum Puero, qui æger viri robuſti brachiis *ad locum ſupplicio deſtinatum aſportabatur*: quo tempore æger *ab omni Incantatione*, Dei beneficio, *liber adhucdum optimâ* *Convaluit.* *fruitur valetudine.* Reliquas Literas *M. P. D.* autumat *Literarum ſignificatio.* Pueri conſobrina, deſignare mulierculam quandam, quæ ſupra nominatam Sagam, ad facinus hocce perpetrandum, inſtigavit.

De hujusmodi Magis quid credas, haud ſcio. Id ſcio, me *parùm credere, nec mihimet credere, quanquam præſens viderem præſtigias.* Quippe & ſolertiſſimi & acerrimi Philoſophorum fuerunt, qui, ne iis quidem confidendum eſſe, ajunt, quæ videmus. Igitur ubi rationes jacent, judicium ſilet, & ego Melancholicorum figmentis hæc annumero. Ex *Thom. Bartholini Epiſtol. Medicinal. Cent. 3. Epiſt. 60. p. 241. ſeqq. ad Johann. Heunium datâ.*

Veneficia in dubium vocantur.

Melancholicorum figmenta.

CASUS XI.

Duffi, Regis Scotiæ, qui ad ſuæ cereæ Imaginis aſſationem in veru, & ipſe Sudore immedico, Vigiliis perpetuis, & Macie, veneficâ arte, afflictus, illoq; Simulacro remoto atq; abolito, mox priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

INter hæc *Duffus*, *Rex Scotiæ*, incidit in languorem non tam gravem, quàm cunctis vel eruditis Medicis (Scotorum tunc vivendi modi, corporeæque conſtitutionis, quos nondum peregrinæ invaſerant ægritudines, habitâ ratione) cognitu difficilem. Siquidem, *ſine ullo ſigno bilis, pituitæ, alteriusve peccantis humoris exundantiæ*, ab humano temperamento *lapſus Duffum ſenſim* afflixit. Noctu enim ſub *perpetua vigilia* decumbens, in *ſudorem ſine modo* ſolvebatur: interdiu vix dolore, quo nocte laboraverat, levatus, quieti ſe dabat. Corpus *lentâ* conficiebatur *tabe*, effœto ſimillimum. Hærebat cutis rigida, venas, nervos, &, quâ formâ ac ſitu, oſſa, eſſent humana, ſpectantibus oſtendens. Suavis ac *uniformis ſpirituum à corde profectus*, quod tactu cordialis venæ & arteriæ deprehendere, vitale humidum, nihil temperie exceſſiſſe, demonſtravit. Vividus illi color, aurium oculorumque vigor integer aderat, temperatusque frequentior cibi potusque appetitus. Hæc ſanitatis ſigna in languente, multoque dolore afflicto Medici

Duffus, Rex Scot.

Sine cauſa ægrotat.

Symptomata.

Tabes lenta.

Pulſus integer.

cùm admirationi darent, postea quam, quæ suarum erat partium, egissent, nihilque invenissent, ad *superfluum nocivumque sudorem* sistendum accommodatum, aut, quod *somnum provocaret*, sed Rex in horas magis magisque sudore, & perpetuâ vigiliâ augeretur, versi ad patientis consolationem (nam huic soli locus, eorum sententiâ, erat relictus) precari cœperunt, benè de salute speraret, haud sibi deesset, fore, ut externorum medicaminum Medicorumq; quos sibi ocyùs accirent, ope, quòd peregrina & parùm eis cognita esset ægritudo, adventante autem vere, soleque, vitæ in animantibus assertore, ad nos redeunte, consequeretur sanitatem. Obortus est sub id tempus, incerto autore popularibus susurris rumor, Regem *veneficarum mulierum* & *arte dæmoniacâ*, non naturali morbo tabescentem, per tam longa tempora corpore ac viribus confici, easdemque apud Forres, Moraviæ oppidum, magicam & sortilegam artem in Regis perniciem exercere. Horum fama illicò ut ad Regis aures pervenit, ne auctus rumor, re propalatâ fascinatricis, ut supplicium evaderet, in fugam ageret, mittuntur in Moraviam, qui, an vera essent, quæ ferebantur, perquirerent. Missi nuncii itineris causam dissimulabant, & veluti ineundæ pacis gratiâ inter Duffum Regem, & conjuratos Moravos Forres adiere, noctuque in arcem admissi, (steterat ea adhuc in Regis fide) quàmprimùm venerunt, Donevaldo Arcis Præfecto, ut imperatum eis erat, exponunt, ejusque fidem & auxilium ad negotium conficiendum implorant. Milites, qui in Arcis erant præsidio, tenuit nonnihil hujusmodi rei suspicio. Nam ex prostituta quadam (erat huic mater sortilega & incantatrix) dum blandiusculè eam tractaret, amator de regiæ valetudinis tempore, modo, perpetuitate, quibus sortibus, quibus magicis carminibus uterentur Veneficæ, posteaquam nonnihil audiverat, sodalibus indicavit, & illi Donevaldo, Donevaldus autem Regiis Legatis, meretricemque tempestivam

Sudor nimius, Vigilia perpetua.

Veneficiorum.

Moravi fascinatores.

ſtivam tanti facinoris nunciam, (erat ea tum fortè in Arce) Donevaldus ad ſe accitam quæſtionibus, quo ordine cuncta gerebantur, & in quibus ædibus, ubi fateri cœperat, mittit intempeſtâ nocte milites ad rem omnem explorandam. Hi in ſortilegarum ædes, foribus vi recluſis, irrumpentes, Veneficarum unam, cereum Simulacrum, ad Regis *Duffi Imaginem* dæmoniacâ arte (ut credere par erat) *confectum, ligneo affixum veru, ante ignem torrentem, alteram, carminibus recitatis liquorem quendam fundentem ſenſim ſupra ſtatuam*, invenerunt. Prehenſæ itaque ocyus faſcinatrices, conjectæque in vincula, & tractæ ſimul cum *Simulacro in Arcem*, rogatæ, ad quid ſub nocte carmina recitantes, effigiem Regis igni exponerent? reſponderunt, *dum Simulacrum igni adhibitum torreretur, Duffum Regem in ſudorem ſolvi, carminibus* autem *recitatis, perpetuâ teneri vigiliâ*, &, ad *liqueſcendam ceram, macie* confici. *Conſumptam* autem *ceram*, *Regis mortem continuò ſequuturam*: ita ſe malos Dæmones docuiſſe, ad facinusque exequendum mercede *à Moravorum primoribus* conductas. Perciti ita adſtantes ad Anus verba, effracto Simulacro, ut Veneficas ſcelus ingenti luentes ſupplicio flamma conſumeret, extemplò curarunt. Ferunt, *ſub tempus, quo hæc in Forreſſenſi Arce ſunt acta, Regem languore levatum, & nocte absque ſudore quieviſſe.* Poſtridieque redeuntibus viribus, quæ erant humanæ facultatis, promptè egiſſe, perinde ac ſi nullâ adversâ valetudine anteà fuiſſet detentus, verùm, utut ſe res habuit, *Duffus, recreſcentibus viribus, ſanitati brevi reſtitutus. Hieronym. Cardan. de Varietat. Rerum Lib.* 15. *cap.* 80. *p. m.* 389. ex *Hector. Boethii Hiſtor. Scot. Lib.* 11.

Duffi Imago cerea veru aſſatur: hinc illius Sudor immodicus, Vigilia perpetua, & Macies.

Remotâ Duffi Imagine, ipſe mox convaluit.

Casus XII.

Exhibens excretionem Vermium, varii coloris ac formæ, per Sudorem, Os, Alvum, Meatum urinarium, & Ulcera, comestione Ovi, per Incantationem injectorum.

Puer XIII. annor. Ex infima plebe oriundus tredecim annorum Puer, porcis quippe paſcendis damnatus, in Pago Helbra Comitatûs Mansfeldenſis natus, nominatusq; Joh. Georg. Hennemann, ipſo die Viridium à vetula ruſtica, cui nomen Weſtphalin, colore ac picturâ inſignitum *ovum ad duritiem coctum*, more circa id temporis Paſtoribus conſueto, petit; à qua cùm duo obtinuiſſet, alterutrum haud morâ ilicò avidè comedit; ſed & actutùm malè ſe habere cœpit, ſubortis inde in *toto corpore intolerabilibus doloribus*. Interea cùm & alterum *Ovum* cibi loco edere vellet, jamque hac fini id degluberet, hoc eſt, teſtam detraheret, atque per medium diffringeret, ecce! aliquot *Vermiculi*, atque *Serpentes* proſiliunt; quibus viſis, extemplò Puer indignabundus illud abjicit, faſcinationem non ineptè ſuſpicans; nec fefellit metus; cùm paulò pòſt omnia ſymptomata, *manuum* nempe & *pedum*, indies ingraveſcerent. Medicus accerſitus *Pulverem* præſcribit *alexipharmaco-ſudoriferum* ex *carne viperar. Corn. Cerv. Phil. præp.* conſtantem; quo in *aceto* exhibito, indeque copioſo ſudore prolecto, unà cum eo, mirum! plurimi partim *nigri*, partim *albi*, in *viridem* partim vergentis coloris *Vermiculi*, vel *pilis obducti*, vel *glabri*, iisq; haud abſimiles, quales in caſeis ſæpiùs reperiuntur, prorumpunt, quos poſt aliquot horas peſſimè olentes, in lecto ſuper linteis hinc inde perreptantes, innumero numero obſervare licuit. Dehinc viſum eſt, tertiâ die pòſt *Emeticum* propinare, idque *Vitro Antimonii infuſione vini* factum, quo, concitatis aliquot *Vomi-*

Ovum.

Dolores totius corporis.

Vermiculi & Serpentes.

Manuum & Pedum Contractura Mentis corruptio, Oculorum inversio.

Verm. per ſudorem excreti.

Emeticum.

Vomitionibus, tantum effectum est, ut iterum *Vermes nigricantes* simul ac albicantes in non exiguâ copiâ per *os* prodierint, & quidem dimidio digito longiores, brevioresque. Atque hoc medicamentum adeo salutare fuit, ut non solùm *dolores*, sed etiam *convulsiones*, remiserint, *ciborumque appetentia* satis rectè redierit; solâ *articulorum intumescentiâ*, & quâdam quasi *induratione*, adhuc remanente. Quare non abs re fore, judicatum, quintâ die Purgante medicamento rem conficere, quod constitit ex *rad. hellebor. nigr. præp.* & *rad. mechoacann.* tamque felici successu operationem suam præstitit, ut rursus non paucos *Vermes* diversi coloris, longitudinis, ac latitudinis per *alvum* exturbarit. *Artuum* autem *intumescentiâ* etiamnum persistente, deliberato consilio decrevimus, *Lixivium* ex *sabinæ* & *levistici cineribus* cum *vino* & *aquâ* paratum in usum vocare, cujus virtute itidem aliquot *Vermiculi*, *digiti longitudinem* æquantes, *pilisque equorum nigris* similes, & *capitulis luteis* donati, secesserunt; unde idem *Lixivium* reiterare, placuit; quo factum, ut *intumescentia* quidem atque *durities artuum* aliquantùm evanuerit; contrà verò viginti circiter *Ulcuscula* eosdem exagitaverint, quæ *Emplastro defensivo* Crollii & *Opodeldoch* reficere, necesse fuit; quod dum egimus, ex illo prope sinistrum talum enato *Ulcere*, quod mireris, similiter aliquot *diversi Vermes*, & quidem *mortui*, lumbricis terrestribus paulò minores, proruperunt. Nec hoc reticendum, repetito superiùs indicato *Sudorifero*, aliisque necessariis remediis diligenter usurpatis, postremò etiam per *Urinam* quàmplurimos pediculis simillimos *Vermiculos* abscessisse, & ex illo *Ulcusculo*, quod sinistrum talum occupavit, aliquando *dodrontalem Vermem* unicum fuisse exemtum, sed qui mox calcis instar conciderit. His tot malis per Dei gratiam superatis, nihilominus misellus Puer tandem feliciter eluctatus est, & hodienum vivit. *Ex communicatione Amici, per Literarum commercium.*

Verm. per Vomitum excreti.

Purgans med.

Verm. per alvum excreti.

Lixivium.

Verm. ex Ulceribus.

Verm. cum Urina excreti.

Vermis dodrontalis ex Ulcere.

Casus XIII.

De Virgine annorum XXVI. ex cujus Pectore, post varia perpessa gravissima Symptomata, Acus, &, ex omnibus cutis Poris, atque Tumore, Animalcula, nec non Corium, Ungulæ item, & Pedes Avium, prodierunt.

Virgo annorum XXVI. VIrgo *XXVI. annorum*, temperamenti melancholico-cholerici, habitu corporis macilento, postquam per aliquot jam annos, continuo ferè *capitis dolore*, *cardialgiâ* nunquam intermittente (ita ut circa scrobiculum cordis internam aliquam partem avulsam esse, seriò affirmaret) *artuum tremore*, *cordis anxietate* perpetuâ, laboraverat, corpore *maculis fuscis* interdum picto, indies magis magisque emaciato, solâ facie carnosâ, &, ob φλόγωσιν, floridâ apparente, appetitu semper prostrato, adhibitis remediis quamplurimis, præsertim antiscorbuticis, cordialibus, stomachicis, & p. n. aliis, sine ullo levamine omnibus, vivam quandam sibi per artus hinc inde substantiam decurrere, seque *fascino* maleficiatam esse, arguerat, duabus abhinc septimanis acutissimo *ossis sterni dolore* corripitur. Locum istum digitis comprimit, ac statim *duas acutissimas Acuum cuspides* ex sano & integro pectore protrudi, videt, quæ, remittente compressione, retrocedunt. Hinc Mixturam ex *spir. Lign. heracl.* drachm. duab. *Tinct. Mart. aperit. Essent. hyper.* an. drachm. un. constantem, manè & vesperi ad 30. gutt. sumpsit. Externè scrobiculo cordis *Emplastr.* impositum sequens: ex *Empl. stomach.* unc. dimid. *visc. coryl. corall. magnet.* præp. an. drachm. duab. *ol. lign. heracl.* drachm. un. *hyper.* quant. sat. Hisce primâ vice adhibitis, sensit, gravissimum quasi pondus confestim à pectore per artus, cum vigore ac tremore, delabi, ac distribui; dictum factum, molestissima cardialgia, à qua per multos annos ne unico

Symptomata.

Acus ex pectore prodeuntes. Medicamenta salutaria.

unico momento libera fuerat, remisit penitùs, &, quod magis mirandum, *Emplastrum* impositum totum *ad alutam usque omninò absumptum* evanuit, quod tamen postea impositum intactum permansit, nec ullo modo imminutum. Continuavit horum usum per dies decem, eoque tempore sic satis benè habuit, cibos probè appetiit, levi verò Diarrhoeâ correpta, quæ spontè remisit; hinc insolito *totius Corporis*, præcipuè *crurum pruritu*, afflicta est: crura scalpta *maculas rubras* exhibuerunt, pulicum morsibus similes, sed paululùm elevatas, *ex quibus tuberculis innumera animalcula*, minutissima, ruberrima, per singulos cutis poros, catervatìm prodiêre. Exempta & *carbonibus injecta* leviter *crepuerunt*, *manibusq; imposita in momento disparuerunt.* Per microscopium duobus pedibus, totidemque cornubus instructa esse, constitit, & corpore turgido ac succi pleno. Jussa, reliqua acriùs inquiri, & scalpello poris eximi, quæ tamen quantocyùs singula retrocesserunt, nec frictionibus calidis, nec mellis inunctione, allici potuerunt, evanescentibus simul omnibus maculis. Ægrota aliàs delicata & pudicissima, quæ manè sanissima apparebat, maximum ex horum aspectu tædium, terrorem, ac mœstitiam concipit, *Cardialgiâ* denuò immani, *respiratione difficillimâ*, *Lipothymiis* creberrimis, & *Cordis anxietate* maximâ corripitur, *ratione privatur*, *torvum videt*, *absurda loquitur*, *Caput sibi amputatum esse*, *se in deserto vivere*, turrim sibi supra pectus extructam esse, imaginatur, & Agnatos, Matrem, & Notissimos nõ novit. Dato medicamento cordiali & anodyno, circa medium noctis, alto sepelitur somno, mane expergefacta nescit singula, benè se valere jam dicens, nisi quòd ob *fascini* metum anxia & sollicita sit, præsertim cùm meminerit, sibi ante annos octo, parvum in externâ ac superiori dextri femoris parte tuberculum ortum esse, ex quo per *Emplastra* aperto, Chirurgus varia adspectu miranda exemisset, v. g. naturales *ungulas* & *pedes*

Symptomata alta.

Animalia ex Tuberculis & Cute prodeuntia.

Animalium horum constitutio.

Symptomata recrud.

Ungulæ & Pedes Avium, Coriium & alia ex Tumore prorumpentia.

des avium, *materiam* quandam *ovi columbini* magnitudine *crassam*, *coriaceam* ac *nigerrimam*, quam etiam nunc videndam exhibet, & alia, quæ singula *Fascini* suspicionem penes illam maximè confirmant.

Hunc Casum eruimus ex *Disputat. Medic. Inaugural. Frider. Käsebergii de Morbis à Fascino*, habitâ sub Præsidio *D. D. Georg. Wolffgang. Wedelii*, Jenæ 1682. ubi *cap.* 1. *pag.* 9. refertur, eum à *D. D. Schmidio*, *Archiatro Anhaltino*, observatum descriptumque *Excellentissimo D. Wedelio* transmissum esse.

Casus XIV.

De Puero annorum XIII. miras Convulsiones, Contracturam Pedum, Spinæ dorsi reflexionem, & tantùm non ipsam internecionem, cum Vermium ex Ulcusculis excretione, ex Fascino passo.

Puer annorum XIII.

IN vicino oppido Klöden/ duobus abhinc milliaribus, Filius Textoris cujusdam, nomine Martinus Schiermeister/ *annum agens decimum tertium*, vesperi, ad nonam, ædes paternas egressus, ad deponenda alvi recrementa, in sepem, cui sambucus inserta, incidit, ubi actutùm subitaneâ convulsione prehensus, cum subitanea in terram prostratione, ut ægrè semel tantùm exclamare licuerit; quo clamore exaudito, à Matre in domum, demortui instar, deportatus, omnes in eo functiones, sensusque interni & externi penitùs aboliti apparuerunt, & vix ullum superstitis signum deprehensum: respiratio enim adeò erat imminuta, ut nullis Artis mediis, ab ullo adstantium explorari potuerit. Vitam idcirco cum morte commutasse, constanter plerique asseverarunt; donec alii accedentes, hoc consilii suggessére, relinquendum, nec sepulturam, usque dum tertius dies finitus, procurandam; quippe cùm interea temporis, scilicet intra triduum, insignes mutationes, certa indicia salutis vel mor-

Convulsio.

Respiratio difficilis.

tis in desperatis ex *Fascino* (ad quod omnes gravissimi hujus affectûs causam referebant) provenire solére, aliquoties acceperint. Horum monitis Mater vidua obtemperans, cuncta procrastinavit in tertium, quo ferè elapso, eâdem, quâ correptus horâ, sensim sibi restitutus, fari incepit; tantis verò tàmque immanibus ac sævis doloribus lancinatus, ut omnia ejus jam evulsa, éqúe situ naturali mota, distractaque, viscera existimaverint, cum corporis totius mirâ concussione & contorsione, adeoque nec dies noctesque nec cibum, nec potum capientem miserè ejulantem tractavêre. Continuati verò acerbissimi cruciatus, absq; ullo intervallo, per triduum, ubi doloribus paulùm remittentibus, tanta totius corporis, *membrorumq; omnium convulsio*, subsecuta, ut absque strictiori ligatura artuum nihil quicquam assumere valuerit. Demum inordinatum hunc motum excepit *gravissima tensio omnium musculorum* majorum, *femorum, surarum, & natium* præsertim, in quibus *novem insignia foramina* oborta, *per quæ potus, aliaque fluida, ut exhibita, confestim effluxére*, tandem *absumptâ omni prædictorum musculorum carne, vermes undecim*, post quartum annum, tot medicamentis à Chirurgis adhibitis, in lecto reperti sunt, sponte elapsi, longitudine medii digiti, nigricantibus capitibus, pedibus innumeris, quos ubi Mater ex stragulo in terram projecit, derepentè, multis præsentibus, evanuerunt. Mater licêt omnem substantiam in restitutionem Filii impenderit; pristino tamen vigori minimè restitutus, convulsus usque adhuc permansit, & *tendinibus crurum contractis*, pedum officio destitutus, manibus innixus, gressum formare cogitur. Cui accedit *spinæ dorsi*, ut apparet, circa tertiam thoracis vertebram insignis *ad exteriora reflexio*, ad latum palmum, *sternique elatio*, nî fallor, ob dislocationem vertebrarum. Annus ipsi 25. nunc, nec dum à pristinis cruciatibus immunis semper, sed circa certas lunæ φάσεις recrudescentium quasi dolorum paroxysmis

Convulsio immanis.

Vermes ex foraminibus femorum egressi.

Contractura Pedum.

Spina reflexio.

Nervorum tensio, & Spinæ dorsi refrigeratio insolita.

mis affligitur; præterea capitis dolore attentatur, *nervorumque* accedit *tensio* per universam spinam, quam interdum ita *infrigidari* conqueritur, ac si frigidissimâ aquâ de subito irrigaretur. An ergo Textori illi *Vermes* isti sub sambuco à *Venefica* forsan quadam sepulti immissi sint? aliis judicandum relinquitur. Ex *Dan. Sennert. Practic. Medic. Libr. 6. Part. 9. c. 6.*

CASUS XV.

Concernens Puerum annorum XI. qui cum Urina Calcem, Arenam, Lanam contortam, Crines, Muscas, Pulices, Dentes ovillos, Ossa, Sevum, Nummos, Aristas, Silices, Coronulas ex filo contortas, excrevit, & tamen iterum convaluit.

Puer annorum XI.

SUperiori æstate in Oppido Lauffen/ ditionis Wirtenbergicæ, *Puer undecim annorum*, à Parentibus piè educatus, scholam frequentans, subitò de *dolore inter mingendum* est conquestus. Ad diem unum & alterum perseverante malo, Mater Chirurgum nostrum adiens, remedium petiit, pro dicta *urinæ difficultate*: is calculum subesse, existimans, *Aquas petroselini, ononidis, saxifragiæ*, propinavit, quibus exhaustis, multa frusta diversæ & inusitatæ magnitudinis *mixturæ* illius *ex calce* & *arenâ*, quâ parietes incrustari solent, rejecit, quæ Mater postea Chirurgo monstravit, & felicem Aquarum operationem commendavit. Monuit igitur Chirurgus, ut in illarum usu porrò pergeret, quo facto, jam *lanam contortam*, jam *crines*, eminxit Puer, cum maxima difficultate. Tandem res eò devenit, ut quotidiè sæpiùs, quasi *convulsione* correptus, corrueret Puer, & pòst ad se rediens, cum dolore *muscas vivas, pulices, dentes ovillos, ossa* digitum crassa, *sevum, nummos*, nunc *aristas integras*, nunc *silices*, aliquando etiam *coronulas ex filo contextas, quas Mater pridiè amiserat*, cum *urina* excerneret. Re igitur ad Magistratum delatâ, inquisitio facta fuit

Calx & Arena rejecta.

item Lana contorta, & Crines.

Convulsio.

Musca, pulices, dentes ovilli, ossa, sevum, nummi, aristæ, silices, coronulæ ex filo contortæ

fuit ſatis diligens. Puer noctu *Veneficam* nominatam ſe accedere, & talia in corpus ingerere, quæ poſtea tanto cum dolore reddere cogatur, conſtanter affirmavit: illa vocata conſtantiùs pernegavit. Interim quotidiè precibus tàm publicis, quàm privatis commendatus fuit miſer Archiatro præpotenti, & ſæpiùs de Oleo hypericonis compoſito Göleri à me ſubminiſtrato aſſumſit, atque ita, uti decet, externè adhibuit; unde paulatim omnia ceſſarunt mala, & Puer priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit. *cum Urina excreta* *Convaluit.*

Deſcriptio Olei Hyperici compoſiti Göleri. *Deſcriptio Olei Hyper. Göleri.*

℞. *Ol. hyper. opt.* libr. un.
Vin. generoſ. Sextar. tres
Ol. terebinth.
lumbr. an. unc. duas
ceræ, unc. un.
Pingued. human. deſtill.
Ol. medull. hom. vel *cerv. deſtill.* an. unc. tres
Theriac. Andr.
Mithridat. an. drachm. un.
Viſc. quern.
til.
coryl. ana Manip. un.
Fol. perſic.
rut. mur.
pyrol. an. Manip. tres
Flor. antirrhin. Manip. octo
hyperic. Manip. ſex
verbaſc. Manip. duos
beton.
centaur. min.
prunell.
conſol. aur.
ptarmic. Auſtr.
chelidon. an. Manip. un.

Sem. antirrh. unciam dimid.
hyperic. unc. un. cum dimid.
Rad. dracun. macul.
aristol. rot.
symphyt. an. Manip. dimid.
scrophular.
fabar. an. Manip. un.

Coque in Diplomate, vase optimè clauso, ad consumptionem *vini*, exprimantur fortiter, postea imponantur

Croc. Mart.
Mumiæ
Mastich.
Thuris, *Myrrh.* an. drachm. duas

Coque leniter & pro circulatione pon. ad solem, hyeme ad fornacem.

Tota hæc Observatio descripta est à D. *Joh. Christoph. Eisenmengero*, & huc translata ex *Marcell. Donat. Histor. Medic. mirabil.* Editionis Horstianæ in *Addition. p. m. 722.*

Casus XVI.

Ancillæ, sub cujus musculis abdominis, post obitum, institutâ Anatome, reperti sunt Pili, Calx, coriacea Materia, Cranium felinum, Maxillæ Suis, Dentes canini & molares humani, Fascinatione injecti.

Ancilla. PRæterito anno 1681. Junii tertio die dissecuerunt mecum Domini Doctores Richteri cadaver Ancillæ quinquagenariæ, Sabinæ Kratzerin, cui ante annos tres & viginti *menses* primùm *substiterant*, subsequentibus subinde gravissimis omnium ferè partium morbis atque symptomatibus, unà cum *tumore ventris inferioris durissimo*, reliquorum verò membrorum gracilitate & *macilentiâ marasmodicâ*. Tradiderant quidem miserrimæ huic pauperculæ intra

Symptomata.

tra tempus tam diuturnum Gratiosæ Facultatis Antiſtites hujus loci multifaria medicamenta, absque omni tamen levamine. Cùm itaque miſericors Deus tandem beatam analyſin largiretur, & culter anatomicus in cauſam morbi refractarii inquireret, *ſub muſculis infimi ventris* tenuiſſimis, prope Vmbilicum, & quidem ſupra Peritonæum, per *Incantamentum*, conſpiciebatur *injecta* non menſurabilis *pilorum abraſorum* cum *calcis* quaſi extinctæ liquidioris & croceo colore tinctæ mixturâ talis, qualem *Coriarii* abjiciunt, inſuperque *globus ex prædicta materia*, *cranio* quaſi *felino*, cum *Suis maxillis*, *dentibus* bruti *caninis*, aliquotq; Vetulæ *molaribus*, compactus, & tendinibus adeò intertextus, ut cultellis difficulter admodum cederet. *Sub Peritonæo*, *cavitatem abdominis* putrilaginoſa, præmemoratâ modò ſiccior, ſed absque pilis, itidem *tincta ſaburra*, cui torrida quaſi viſcera inhærebant, replebat: ulteriorem autem inquiſitionem prohibebat fœtor. O miſerabilem hominum ejusmodi conditionem! Nec Adeptorum Medicina hîc fuiſſet ſufficiens! Si Dæmonis ſummam velocitatem conſideramus, varias iſtas res è faſcinatorum corpore excretas, vel in eodem inveniendas, in ipſo excernendi actu, ſummâ arte ſuâ præſtigiatoriâ *celerrimè* eum *ſupponere*, aut etiam corpori in ipſa ejus ſectione poſt mortem quandoque inſtitutâ injicere poſſe, dicemus. Quod tamen ita ab eo, aut ſaltem ſemper fieri, nemo prudens defendere præfractè ſuſtinebit, cùm non minus inſignis ejusdem in rebus naturalibus ſcientia, quâ inſtructus ſæpè talia, ſupra naturam quæ ſunt, agere videtur, modos perplures alios intellectui noſtro imbecilli admodum & cœcutienti non adeò perſpectos adhibere valeat. Imò ſi corpora ejusmodi inſolita, facilioris imprimis quæ ſunt flexuræ, vel per naturales in corpore humano meatus, oculis licèt noſtris vix perceptibiles, artificiosè intrò pellere, aut etiam per vulnus dextrè inflictum & non minus ſubtiliter iterum absque mora

Obiit.

Pili, Calx, coriacea materia, Cranium felinum, Maxillæ Suis, Dentes canini & molares humani, ſub muſculis abdominis reperti.

Injectio rerum abſurdarum per Faſcinationem quomodo fiat?

mora consolidatum immittere eum posse, dicamus, non errabimus, quia tam prægrandes in Ventriculum deglutitas, aut aliter ab extra violenter intrusas res varias per vias & mœandros inconsuetos, aut immensùm dilatatos ad alia loca, vesicam &c. delatas fuisse, tot exemplis passim à fide dignis memoratis convincimur, ut dubitare velle de iis, grande facinus foret reputandum. Ex *Ephemer. Physic. Medic. Germ. Decur. II. Ann. I. Observ.* 140.

Casus XVII.

Ancillæ, quæ post varia Symptomata, Pilos, Fila, Acus, Clavos, Cultri & Ferri frusta, Nummos æreos, Globulos, Vitri fragmenta, Ovorum Putamina, vomitu rejecit, Pactum cum Diabolo ter iniit, & cum eo inconsuetos sermones reciprocavit: cum Quæstione curiosa.

Ancilla. Symptomata. Pili, Fila, Acus, Cultri, Clavi, Ferrum, Nummi aerei, Globuli, Vitra, Ovorum putamina, vomitu excreta. Clamor absonus. Vultus horridus. Convulsio. Contorsio variorum membrorum. Ventris intumescentia.

ANno Christi circiter 1669. Noribergæ *Ancilla* quædam mira symptomata per intervalla miserrimè sustinuit, graves nimirum *cardialgias*, *ventriculi corrosiones*, *vomitiones cruentas*, promiscuè sæpè cum *Pilis* variis, & *Filis lineis*, *connodatis* atque *conglomeratis Acubus*, *Aciculis incurvatis*, *fragmentis Cultrorum*, *Clavorum*, *Ferramenti vetusti*, *Filis ferreis*, *Nummis æreis*, *Globulis* ac *fragmentis vitreis*, *Ovorum putaminibus*, atque aliis: persæpè quasi *Convulsiones*, & *Epilepticos insultus* sentiens, in terram concidebat, postea mirâ *artuum* & *corporis contorsione*, *antrorsum* & *retrorsum*, affligebatur, cum *clamore absono*, ac *vultu horrido*; imò *venter* ipse insigniter *intumescebat*, *remorantibus menstruis*, ut prægnans crederetur. Sed cùm Theologi & Medici ex alloquiis, ac *medicamentorum* ordinatione, per aliquot menses defatigati, videbant, *omnia frustra exhiberi*, & inutiliter tempus consumi, imò pariendi tempus inaniter præterire, è custodia emissam, Magistratus, ex singulari commiseratione, car-

ruca

rucæ impositam, *Augustæ Vindelicorum*, unde Norimbergam prius venerat, devehi curavit. *Joh. Helwigius Observ. Physic. Medic.* 75. *Augustam Vindel. defertur.*

Misellum hoc peccati Satanæque mancipium, R. S. cùm A. S. R. 1666. *d.* 11. *Novembr. pactum cum Dæmone iniisset*, duobus Chirographis confirmatum, quæ *menstruo suo cum sanguine exaraverat*, annorum quatuor & quindecim dierum in cultum ei se devoverat, atque *A.* 1670. terminus appropinquâsset, seriâ delicti abominandi pœnitentiâ ductum, post multas à Satana perpessas gravissimas tentationes, ardentiorum precum efficaciâ, tranquilliorem quidem in statum positum, ereptâ nempè, publico in carcere, *d.* 26. *Novembr.* infernalibus ungulis priori scriptæ obligationis schedulâ, cui sequenti anno & altera successerat, à miro tamen vomitu isto, quo diversissimas res egerebat, horrendis convulsionibus, *Diabolique ad novum pactum* sollicitationibus ac invasionibus, non planè liberatum fuerat. Quorum omnium cùm *A.* 1671. ex Italia redux factus, præsente Plur. Rever. D. M. T. S. sedulam ejus animæ curam agente, ipse spectator in Xenodochio publico fuerim, paucis referam, quid observaverim. *Pactum cum Diabolo. Pactum cum Diabolo tollitur, iterum renovatur.*

Eam itaque *Fæmellam* externâ facie floridam, & benè valentem cùm offendissem, ipsa verò ad degustationem vini sollicita, diu petito nostro reluctata fuisset, eo quòd atroces in vomitus, convulsiones, atque tentationes, Diabolo utpote ægerrimè, ut dicebat, excretionem istam ferente, se mox lapsuram sciret, vereretur que, ne mihi dirum spectaculum terrorem incuteret, de quo tamen postquam securam esse jussissem, mihique Christiano Satanam terrori esse negassem, vix degustato *uno vini cochleari*, *ventriculi* statim *convulsivos motus*, tandemque *subversiones* vehementes subierat, vi magnâ ejectis duobus non exiguis *præacutis vitri confracti laminis*, *ferreoque intorto Filo*, meas inter curiositates adhuc repositis, unà cum aliis quibusdam *Vinum noxium. Ventriculi convulsio & subversio. Vitrum, Fila ferrea rejecit.*

Globuli & Crepundia rejecta. *Globulis* & *Crepundiis*, quæ recensere nolo, parùm saltem salivâ madefactis, nullâque planè sanguinis guttulâ conspersis; quo vomitu cessante, atroces totius corporis *Convulsiones.* *convulsivæ agitationes* successerant, hisque remittentibus, ipsa in *Ecstasin* rapta, ad *nova pacta* invitanti, atque ad desperationem *Ecstasis. Pacta nova cum Diabolo.* cumpellenti Cerbero masculè sese opposuerat; sed tandem turbis istis finitis, lecto denuo surgens, nullâq; de corporis debilitate conquesta.

Quæstio curiosa. *Num* maximus ille Fascinator in hac tragœdia *oculos meos deluserit*, ut res istas, licèt è ventriculo propulsas credere potuerim, in ipso vomendi actu, *summâ*, quâ pollet, *agilitate ori patellæque suppositæ injecerit*, vel an *dilatato immensùm œsophago*, munitoque, ne à transeuntium, vitri & ferri, rigidioribusque cuspidibus læderetur, me sanè latet, imprimis cùm magnus ille Ventriculi superiora adfectantis conatus, colli intumescentia, & impetuosa ferri &c. expulsio, ex stomacho ipso ejecta illa, persuadere, illæsæ autem à majoribus istis transeuntibus acutis corporibus viæ contrarium innuere queant. *Convulsiones.* *Convulsiones* quidem fictitiæ haud fuerunt; quâ tamen ratione lassitudinis sensum post se nullum reliquerint, nescire me profiteor. *Ecstasis unde?* *Ecstaticum* etiam illud cum malo Genio *colloquium* quamvis melancholici phantasmatis speciem præbere potuerit, altiorem tamen causam habuisse, reliquæ circumstantiæ evincere videntur. *Luc. Schröckius in Scholiis ad eandem citatam Observat.*



CASUS

Casus XVIII.

Quo narratur, Matrem & Prolem, hausto intoxicato Lacte, illam in gravissimum incidisse Delirium, cum subnato Tumore Mammillæ, ex quo varia insolita prodierint; hanc verò epilepticam factam Convulsionibus obiisse.

RUstica quædam Hedelfingæ habitans cùm ante decem septimanas peperisset, accepit *Lac* à quadam Venefica, quod cùm comedisset, mox in *desperationem* ferè extremam incurrit, ita ut Maritum cum propria Prole è medio tollere cogitaverit, fassaque est Marito, has cogitationes diabolicas perpetuò sibi ob oculos versari, illumque etiam atque etiam rogavit, ut ipsam occideret, promptè hanc culpam ei perdonaturum. Conquerebatur insuper de magna difficultate circa pectus, als wann ihr ein harter Knüpffel vorm Hertzen lege. De eodem *Lacte* paravit *Pultem Infanti*, qui ab eo ingesto statim in *Epilepsiam* incidit, quâ gravissimè torquebatur. Urina Matris sanorum urinæ similis erat, cum copioso admodum sedimento.

Lac.

Epilepsia Infant.

Dedi itaque Matri in *vino rad. mecboacan.* drachmas duas pro una vice. Eidem seq. *Vinum medicatum* ordinavi.

Vinum medicat. pro fascinat.

℞. *Herb. card. benedict.*
hyperic.
artemis. an. Man. j.
Rad. mors. diabol.
enul. an. unc. dimid.
angelic.
polypod. querc. an. unc. unam
Fol. scabios.
Visc. quercin. an. Man. dimid.
Uvar. passar. unc. duas.
Sem. anis.
fœnicul. an. drachm. duas

Mixta immergantur in duabus *Mensuris Vini* calentis, de quo bibat manè & vesperi, & in principio quoque prandii, haustum unum.

Tumor Mamm. *Varia ex Mamm. excreta.* Quibus medicamentis cùm usa fuisset, Respirandi difficultas remisit, sed Tumor in Mammillis exortus fuit, quo, adhibitis maturantibus, aperto, varia ex eo prodierunt, & cogitationes diabolicæ mox remiserunt. Quomodo v. Ulcus conglutinatum & curatum sit, cùm Curationi huic non præfuerim ampliùs, ignoro.

Infanti Cur. *Infanti Amuleti* loco jussi suspendere ad collum *radic. pœon.* &, ut in Pulmentis sumeret parum de sequenti Pulvere:

Pulv. ant-epilept.

℞. *Cran. human. præp.* drach. dimid.
Cinamom. el. scrupul. unum
Rad. pœon.
tormentill.
Mastich. an. scrupul. dimid.
sacch. alb. scrupul. quatuor

Misc. Fiat Pulvis.

Dormiat super *Pulvinari* concinnato ex *foliis rutæ*; qui tamen, pluribus quotidiè supervenientibus Convulsionibus epilepticis, paulò post obiit. *Infans obiit.* *Wolfgang. Gabelchover. Curat. & Observat. Med. Centur. I. Curat.* 16. & 17.

CASUS XIX.

Puellæ annorum XVI. cujus Imago cerea cùm pungeretur, ipsa sævissimos Dolores persentiscit, cum aliis gravissimis Symptomatibus, pòstq; Crines glomeratos, Tributos, Acus æneas, Formicas volantes, & Animal pilosum, evomit.

Puella annorum XVI. PUellam, *annum agentem decimum sextum*, ex nobili prosæpia oriundam, formâ non vulgari præditam, Juvenis quidam speciosus, & liberalibus artibus apprimè instructus,

ita

ita misere deperibat, ut illius amore irretitus, noctes plures, velut amens, insomnis duceret: at cùm illum ea, ut ex infimo loco natum, temneret, & irrideret, indignabundus, sagarum consilio, de ea Magicis artibus vindictam sumere, curat. Quare absentis *Puellæ Imaginem cerâ confictam*, verbis prolatis, *Sortilegæ compungunt*, quibus recitatis, insons, *sævis doloribus* in toto corpore excitatis, est afflicta, iisque ita infandis immisericorditer vexabatur, ut aculeis transfigi videretur.

Puella Imago cerâ conficta pungitur. Hinc Doloribus sævis affligitur.

Quibus lenitis, remanebat *aphona*, & *convulsione mirabili* arrepta, quâ pedibus antrorsum pectus contingebat, cum *oculis torvis*, *nigricante facie*, *pinnis narium inversis*, *linguæ tremore*, *lipothymiâ*, *omnimodâ virium jacturâ*, *fastidio summo*. His triduo perseverantibus, convocantur Medici, qui, postquam ultrò citroque de causa morbi disceptarunt, in eam unanimes convenerunt sententiam, ut crederent, hæc horrenda vitia ab utero, auráque venefica ad partes superas datâ, tanquam à prima origine, emanare, quæ similem tragœdiam excitare nata est.

Aphonia, Convulsio, & alia symptomata.

Quapropter præsidia plurima adaptant in hunc usum. Sed cum iis applicatis, illa *delira*, *furibunda*, omni *convulsionis* specie premeretur immaniter, à Medicis, tanquam spiritu malo apprehensa, aut *veneficio* vexata, deseritur.

Hoc ita esse, confirmavit postea *enormis vomitus*, cujus violentiâ nigerrimam materiam primò, postea *glomeratos crines*, *tribulorum fasciculum*, *acus æneas*, & tandem *oviformem massam*, atro colore conspurcatam, rejecit, quâ dissectâ, erupére plures *volantes formicæ*, quæ adeò horrendum fœtorem ex se exspirarunt, ut nullus in domo persistere posset. Visis his omnibus, patuit, cuncta hæc ex *Veneficio* esse suborta.

Crines glomerati, Tribuli, Acus aneæ, Formica volantes, vomitu rejecti.

At cum in agone esset, syncope oppressa, per vomitum laboriosissimè excrevit *Animal pugni formâ, colore atrum*,

Vomitu animal pilosum vivum rejectum.

caudâ oblongâ, toto corpore piloſum, muris inſtar, quod, poſtquam in terram elapſum eſt, eximiâ *pedum agilitate* per domum obrepit, & emoritur.

Parentes rei novitate, & periculo Filiæ, commoti conſulunt Ariolos, Sagas, Sortilegos, Magos & Incantatores. Ex iis unus, ſe eam ſanaturum, propoſitâ multâ mercede, conſtanter pollicetur, dicens, ut adventante paroxyſmo vocaretur. Sic factum. Nam cùm acceſſio ferociter invaleſcit, convocatur ipſe, qui ſupra caput Ægræ, prius abra- *Curatur à Mago.* ſum, me præſente, impoſuit *papyraceam chartam* albiſſimam, in qua ſcriptæ erant literæ binæ: *T. M.* & impoſita erat *ungula Aſini* ſemi combuſta, & ille, neſcio quæ verba ad aurem obmurmurans, illam ab inſultu, & omni ſymptomate impoſterum liberavit. *Zacut. Luſitanus Prax. Medic. mirab. Libr. 3. obſ. 139.*

Casus XX.

De Puella annorum XVIII. quæ muta prius, & epileptica facta, deinde per os, nares & alvum rejecit Acus, Clavos, Antias, Capillos complicatos, Obolos, Fibulas, Ovorum putamina, Fila, & Cultros: & tamen iterum convaluit.

Filia annorum XVIII. JOhannis Silbernegelin, Cæmentarii Laugingani, Filia, Apolonia, nata annos octodecim, Dilingæ ſervivit apud Aulæ Tubicinem: hæc cùm aliquando ſub noctem domum ſola rediret, Vir quidam, amictus veſte nigrâ (Diabolus nimirum) à tergo Puellam adortus eſt, cirros comprehendit, caput retraxit, nareſque obturavit: ubi ſic tracta Puella, os, exclamando, aperuit; in illud ille impreſſit quippiam, quod cùm ea rejicere conaretur, repreſſit ille per fauces ad oeſophagum, ut invita deglutiverit: quo facto, *Obmutescentia.* Puellam relinquit, quæ ſubitò obmuteſcit, & domum reverſa, muta per octo dies manſit: deinceps ſponte loqui cœpit, & multis diebus *vomitu rejecit*, maximo & diro

cum

cum cruciatu, res perpetuâ memoriâ dignas, utpote *acus, aciculas, clavorum* varia genera, antias, capillos complicatos, obolos, fibulas, ovorum putamina integra, fila, cultros, aliaque multa, quæ ab astantibus & intuentibus sunt reservata, & mihi monstrata.

Acus, acicula, clavi, antia, capilli complicati, oboli, fibula, ovorum putamina, fila, cultri, vomitu rejecta

Tandem incidit in *paroxysmum* veluti *Epilepticum exhorrescendum*, quo miserabili & penè inaudito modo, dies noctesque afflicta fuit, haud aliter, ac si à Dæmonio agitaretur, corriperetur & cruciaretur. Hîc Medici, Sacrificuli, aliique Magices periti multi multa tentarunt, & machinati sunt, sed frustra. Tandem desperata ab omnibus ad me Laugingam adducitur, ubi casum diligenter considero, res vomitu rejectas inspicio, *Fascinum* perpendo, Dæmonis potentiam à Deo concessam agnosco: & eam à Diaboli, effascinatis malis, liberam & sanam perfectè reddo in hunc modum:

Epilepsia immanis.

Fascinum.

Convaluit.

Primùm jubeo, pro ejus salute & sanitate consequendâ, preces tam publicas, quàm privatas ad Deum & Christum Jesum, qui Satanæ regnum destruxit, fundere devotissimas. Postea, ubi Epilepsiæ paroxysmus horribilis parum remisisset, exhibeo ei in nomine, virtute & potentiâ Jesu talem *Haustum alexipharmacum*:

Curatio.

Alexipharmac.

℞. *Ol. comm.* unc. duas & dimid.
Aq. benedict. nostr. unc. un. & dimid.

Quæ commixta exhausit in nomine Jesu subitò ac festinanter ante paroxysmi accessionem, qui paulò pòst quidem rediit, sed ubi post horæ quartam partem per vomitum plurima & varia rejectasset, ex insperato, Deo annuente, remisére illico paroxysmi, seque recolligit à malis effascinatis, quæ unà cum Epilepsia statim eo die, quo haustum insumpserat, sedata fuére. Tertio post die, jussu meo, secuit medianam dictam venam: vesperi circa secundam horam saphenam sinistri pedis, ex quo sanguinem copiosè effluere permittebam. Atque hac sane venarum sectione,

Vomit.

ac potiſſimùm potione præſumptâ, quarto die libera evaſit Puella, & planè perſanata, adeò ut è lecto ſurgeret, veſtes indueret, laboraret, bono & quieto animo eſſet, corpore & mente rectè valeret, eâque famulâ uteretur Pharmacopola noſter.

Clavi per nares, cultri & clavi per os, ferramenta per alvum rejecta.

Sed cùm iſta Puella impia, impura, Venerea eſſet, & indomitæ libidini dedita, Diabolus, utpote ſpiritus immundus, eam rurſus invadit, ſed non ut antea, Epilepſiâ aut morbo aliquo, verùm ſana exiſtens, modò *clavos per nares*, modò *cultros* & *clavos* etiam *per os*, modò *ferramenta varia per alvum*, me præſente & vidente, maximo cum conatu, ſine læſione tamen corporis, rejecit; quibus projectis, riſit & illuſit. Tandem alicujus concubina facta, libera vixit & quieta. *Martin. Ruland. Curation. Empiric. Centur. 4. Curat. 15.*

CASUS XXI.

Servi, quem Saga ex alto ita præcipitem dedit, ut inde Luxationem Coxæ incurrerit.

Mulier.

REferam, quæ Theodorus Cornelii F. jam olim Vrbis Goudanæ Conſul, mihi retulit. Erat in *Pago Boſtbronck*, non procul à Trajecto, *Mulier Vidua*, cui ſervus convixerat, ad obeunda, ut res poſtulabat, munia domeſtica. Is quum jam ſæpiùs, ut ſolent eſſe curioſuli ſervi, per tranſennam animadvertiſſet, Heram, nocte intempeſtâ, ſimul ac quieti ſe tradidiſſent domeſtici, quotidie in ſtabulum ad certum præfixumque locum venire, atque, exporrectis manibus, præſepi contiguum fœnile apprehendere. Admiratus tandem ille, quidnam hoc negotii eſſet, ſtatuit & ipſe, inſciâ Herâ, idem ſemel experiri, atque eandem pertentare aleam. Igitur Herâ ex conſuetudine ad ſolita veniente, atque, ſicuti videbatur, digreſſa, ſubſequitur & ipſe,

ipſe, locum contemplatur, atque, exemplo Heræ, fœnile complectitur: Ibi illé ex tempore in aëra raptus, defertur in Oppidum Wyck, in abditum & ſubterraneum ſpecum, ubi cœtum Maleficarum, de maleficiis conferentem inter ſeſe reperit. Hera cum ſuis inopinam Famuli ſui præſentiam admirata, rogat, quo aſtu, aut quâ tandem ratione, momento temporis, illuc appuliſſet? reſpondit ille ordine, ut res tranſacta eſſet. Tùm illa, indignari primùm, atque excandeſcere, cœpit, verita, ne nocturni atque clandeſtini iſti conventus hâc ratione tandem eliminarentur. *Sagarum conventus.*

Cum conſortibus igitur deliberandum, cenſuit, quid in ambiguo hoc negotio faciendum? ſuadeant. Convénit tandem inter eas, ut amicè exciperetur, ſilentium ſtipularetur, atque arcana hæc, quæ illi, præter meritum & opinionem, videre, contigiſſet, nulli communicaturum ſe, aut revelaturum, ſanctè dejuraret. Ille interim quidvis non pollicetur, abblanditur, &, ut mitiùs cum eo ageretur, ſimulat, ſe omnibus votis hoc unum expetere, ut cum illarum gratia liceat poſthac Sortilegarum intereſſe collegio. Interim dum conſultatur, labitur hora, &, jam abeundi, tempus inſtat.

In dubium iterum, inſtigante Herâ, jam vertitur, remittendusne domum ſit totius cœtus periculo, an bono publico enecandus? Communi tandem omnium conſenſu mitior placuit ſententia, quæ juramento addictum domum deferendum decerneret; ſuſcipit eam provinciam Hera, atque, fide datâ, in humeros receptum, domum delaturum, pollicetur. Accinguntur operi, atque Euro ocyus per aëra feruntur.. Sed ecce! emenſis jam bonam itineris partem, conſpicuum ſeſe dedit lacus, arundineto obſitus; ibi malefica illa Anus occaſionem nacta, verita, ne Juvenis pœnitentiâ ductus, quòd furialibus hiſce feriis (quemadmodum ſimulabat) initiatus eſſet, viſa tandem eliminaret, provolans à ſe disjecit Adoleſcentem, ſperans, ut ſuſpicio eſt, eun-

N dem

dem partim casûs violentiâ enectum, partim lacus ipsius altitudine absorptum iri. Verùm, ut est Deus misericors prorsus, non volens mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, vesanæ illius menti metas constituit, neque passus est, Juvenem insontem submergi, sed aliquantò æquiori conditione permisit, ut in hunc usque diem vita ejusdem protraheretur, dum forte fortunâ in arundinetum decidens, *lethalem plagam* ex casu non accepit, violentiâ impetuque casus per arundinetum quodammodo refractis. Interim miser ille, qui solius linguæ ministerio jam utebatur, dum illucesceret, mille distorquebatur *cruciatibus*, ac suspiria trahens, tantisper ingemiscebat, dum prætereuntes insolitâ lamentatione attoniti, factâ indagine, compererunt, hominem prorsus *elumbem*, & cui *utraque excidisset coxa*. Rogant, unde sit, quomodo eo calamitatis devenerit: narrat ille ordine singula, defertur tandem curru Utrajectum. Ibi Nobilissimus Vir Joh. Culenburgius, Urbis Prætor, rei novitate quodammodo perculsus, admirabundus singula perquirit, atque, indagine factâ, fascinatricem Heram comprehendi jubet, vinculisque constringi. Illa simul ac in manus Præfecti venisset, nihil negare, singula fateri, atque ordine recensere, &, ut humaniter secum agerent, obtestari cœpit. In summa eo tandem res devenit, ut Senatores communibus suffragiis igni adjudicandam, decernerent.

Casus ab alto.

Luxatio Coxæ.

Dicet hic quispiam, mirum non videri, constantem prorsus fuisse mulierem, quæ supra communem hominum fidem multa & diceret, & à se perpetrata fateretur, atque ita pertinacem, ut non vereretur brevi subsequunturum ignem, præsertim quando sit ea atrabilariorum conditio, ut quidvis potius perpeti malint, quàm à semel concepta opinione resilire: nam quòd atræ bilis morbo laborent Lamiæ, argumento esse formam effigiemque vultûs, & totius corporis, ac tetricum quendam, torvumque in dicendo aspe-

Sagarum constitutio corporis.

Lamiæ melancholicæ.

aſpectum, conſuetudinem ſolitariam, atque ab hominum conſortio abhorrentem, victûs rationem melancholicam prorſus, & corpus inediæ patientiſſimum. Fateor, hæc omnia ita ſe habere, ac cum Jamblicho concluderem, quæ faſcinati imaginantur, nullam habere actionis & eſſentiæ veritatem, niſi Juvenis hic adhuc dum in vivis eſſet, atque cum Conſulari hoc Viro familiariter vivens, rem omnem & narraſſet, & utrâque coxâ loco motâ, neque adhucdum reſtitutâ, dictis auctoritatem conciliaſſet; atque his ceu auctuarium accedens caleficæ *confeſſio* (quæ tamen *tanti* apud me *non eſt, ut ei ſoli credendum, exiſtimem*) Adoleſcentis dicta confirmaſſet, atque ſtabiliviſſet. Ex *Balduin. Ronſſei Opuſcul. Med. Epiſtol. Medicinal.* 50. *p. m.* 190.

Incantatio in dubium vocata & aſſerta.

Sola Mon-feſſio Sagarum non ſufficiens.

Casus XXII.

Viri annorum XL. cui Catus veneficus intulit Dolores oculorum, ipſamque Cœcitatem, quam exceperunt Spinæ, Stupæ, Pili, cum Granis milii, ex oculis prodeuntes, & cui tandem aliæ Veneficæ viſum reſtituerunt.

IN Pago Bucha, Præfecturæ Konizenſis, in Comitatu Schwartzburgico, Incolæ cujusdam, in variis mechanicis artificiis parandis celebris, nomine *Johannis Hoffmanni, annorum* 40. vitæ integerrimæ, ædes *Catus niger*, antea non viſus, ante duos annos frequentavit, caſeos, ova gallinacea, & lac, ſæpè ſubducens, adeoque damno non levi paganum hunc afficiens, ut de remedio ei opponendo cogitare teneretur. Cùm ergo aliquando hoſpitem hunc moleſtum in horto ædibus contiguo conſpiceret, *bombardæ exploſione illum occidit.* Projecturus eundem extra ſepis oleas, nondum penitùs mortui pedes decurtat, atque ſic ejicit horto, quo loco ſequenti die non repertus, nec fuit, qui amiſſum conquereretur. Elapſo menſe, ingruente no-

Vir annorum XL.

Catus Veneficus.

Catus occiditur.

ᴄte, domum ex agro repetens in prato prædio ſuo vicino Catum eundem offendit, eumque ſæpè verberibus petit, ſed fruſtra, ſaltu ictum ſemper declinante. Poſtridie ingentes *dolores dextri oculi* perſentiſcit; tertio die ob eorundem adauctas faces prodit in pagum, ubi tamen perſiſtere, non fuit integrum: examen enim *veſparum* dextro oculo ſubitò ingruit, quod impoſſibile fuit depellere. Celeri pede domum ſe confert: *veſpæ* preſſo pede inſequuntur in ſupremam uſque contignationem. *Dolores* ingraveſcunt indies, ut per quatuordecim ſæpè dies inſomnes noctes ducere cogeretur: ſequitur *Cœcitas*, per 32. hebdomadas durans. Medicos conſulit, ſumptibus non parcens, ſed fruſtra: quotidiè *Spinas*, *Stupas*, *Pilos*, *grana Milii*, *ex oculo* extraxit. Elapſo hoc tempore cùm malum hoc ſedem mutaret, & in *ſiniſtrum oculum* conſideret, evenit, ut tres ignotâ facie Fæminæ ipſum inviſerent, & iter ex Ægypto ad illum ſuſceptum ſimulantes, curam promitterent, modò de ſoſtro convenirent. Promittit quinque Imperiales: enumerant rem totam, ut geſta erat, & *Decoctis herbis* aliquot viſum perfectè reſtituunt: demiſſæ hinc, unde venerant. Hæc Hiſtoria ex *Diſputat. Medic. Inaugural. Frider. Käſebergii de Morbis à Faſcino cap.* 5. *pag.* 34. habitâ ſub Præſidio *D. D. Georg. Wolffgang. Wedelii*, Jenæ, 1682. excerpta, atque huc translata eſt.

Dolores oculi. *Veſpæ inſidiantes.* *Dolores ingraveſcentes.* *Cæcitas.* *Spinæ, Stupæ, Pili, Grana milii ex oculo prodeuntes.* *Fæminæ Magæ Ægyptiæ.* *Viſus reſtitutus ab ignotis Fæminis.*

CASUS XXIII.

Fæminæ, quæ, perpeſſis priùs plurimis graviſſimis Symptomatibus, poſtea cum urina excrevit Acus, Clavos, Crinium cincinnos, Fibulas, & Sacculum filo circumvolutum: additâ Curatione, & Remediis ſingularibus.

Fæmina.

ANno 1695. Menſe Januario, *Fœmina* quædam adhuc cœlebs, quæ antehac intumefactum ventrem habuit, ac

ac de *acerbissimis doloribus*, hinc inde in corpore, præsertim verò *capite*, *artubus*, & *ventre* tumultuantibus, conquesta est, quibus *alvi constipatio* per viginti integros dies durans, accessit, & tandem per urinam, ut Medicus illius loci perhibebat, sequentes res excrevit, utpote *magnam Acum*, quam insecutæ sunt aliæ *tres*, inter quas una ex *Cera Hispanica globulum in altera extremitate habebat*, cum *quinque aliis* alio tempore insequentibus, item *Clavi ungulares tres*, *Crinium cincinni*, magnæ & parvæ *Fibulæ*, duodecim particulæ variæ formæ & magnitudinis ex *vitro* conflatæ, duo *Clavi sutorii* novi, *clavus* alius *equinus* integer, & *duo* confracti, & tandem *sacculus* hinc inde perforatus, in superiori parte filo contorto cannabino circumvolutus, qui à Clinica ex antro muliebri eductus fuit.

Symptomata.

Cum urina excernuntur Acus, Clavi, Crinium cincinni, Fibulæ, Sacculus filo circumvolutus.

Quia verò in recensione hujus Casûs à Medico Oppidano Vlmensi nulla mentio facta est, quibus remediis adhibitis venter antea tumefactus subsederit, an menstruæ purgationes totaliter sint suppressæ, vel non? &, an Patiens ante de libidinosis concupiscentiis non suspecta fuerit? aut, an Medicus apud exeuntes res alienas è corpore jam enumeratas præsens fuerit, vel non? idcirco, Amplissimo Magistratu jubente, Collegium Medicum hac de re suum judicium difficulter ferre potuit. Tandem verò ab omnibus judicatum est, si hæc res revera sine omni dolo & simulatione se ita, cum dicta Fæmina, habeat, & per veraces Personas testimonium perhibitum sit, hunc affectum *Morbum Magicum*, *à Fascino*, Veneficio & Incantatione, introductum esse.

Morbus magicus.

De hujus Morbi curatione perhibent, quòd tria præcipuè requirantur, & quidem (1.) *Remedia Magica.* (2.) *Spiritualia*, & (3.) *Corporalia.* Magica veris Christianis suspecta & prohibita sunt; Spiritualia in precibus & Theologicis adhortationibus & consolationibus comprehenduntur. Naturalia, quæ cum Spiritualibus conjungenda, in

Curatio.

alexipharmacis, cordialibus, malignitati resistentibus, aliisque appropriatis & specificis remediis, consistunt, quorum ope & auxilio tales affectus apud multos, si non radicitùs, exterminati, tamen ita leniti, & mitigati fuerunt, ut Patientes magnum exinde solatium consecuti sint. Tales autem Morbi non nisi longo tempore ac successivè curantur, &, licèt interdum spes restitutionis affulgeat, & per factas inducias videatur, ac si talis affectus sublatus sit, illæ tamen ægritudines postea ex inopinato recurrunt, & tàm Theologis, quàm Medicis magnos labores excitant.

Remedia singularia. Contra tales Magicas Fascinationes & Incantationes quidam Medici, inter alia, *Cati* vel *Felis nigræ sanguinem*, vel solum, vel *cum Canis nigri sanguine mistum*, non solùm *Patientis toto corpori*, sed etiam *conclavi*, *januæ liminibus*, & *fenestris*, nec non illorum *retinaculis cruciformibus* ligneis (Germ. Kreutzstöck) illitum, pro certo & singulari remedio juvante extollunt & deprædicant. *Ex Ephemer. Physic. Medic. Germ. Decur. III. Ann. III. obs. 54.*

Casus XXIV.

Juvenis nobilis Romani, cui per Maleficium mirabili modo Potentia Venerea ablata, atque ab alio Sacrilego iterum restituta est.

Juvenis nobilis. ROmæ temporibus Henrici III. Imp. fuit *Juvenis* quidam locuples & *nobilis*, qui recens Uxorem duxerat, & sodales opiparo convivio nuptiali exceperat. Exivére in campum à prandio, lusuri pilâ. Sponsus, ludi dux, pilam poscit, &, ne excideret *annulus sponsalitius*, inserit eum *statuæ Veneris æreæ*, quæ in proximo erat. *Annulus sponsalitius ablatus.* Omnes unum petebant, sic citò defatigatus, ipse à ludo secessit, & ad statuam rediens, annulum recepturus, ecce! videt *digitum statuæ usque ad volam manus recurvatum*, &, quantumvis conatus sit, annulum recuperare, nec digitum

inflecte-

inflectere, nec annulum valuit extrahere. Rediit ad sodales, nec illis eâ de re quicquam indicavit. Nocte intempestâ cum Famulo ad statuam revertitur, & extensum, ut initio, digitum reperit, sed sine annulo. Jacturâ dissimulatâ, domum se confert ad novam nuptam. Cumque torum genialem ingressus, *Sponsæ se jungere vellet*, sensit, *impediri* sese, & quiddam densum ac nebulosum in suum conjugisque corpus volutari. Sentiebat id tactu, videre tamen nequibat. Hoc obstaculo *ab amplexu probibebatur*. Audiebat enim vocem dicentem: mecum concumbe, quia hodiè me desponsasti: ego sum Venus, cui digito annulum inseruisti, nec reddam. Territus ille tanto prodigio, nihil referre, ausus est, vel potuit: insomnem duxit noctem illam, multum secum deliberans. Sic factum est per multum tempus, ut, quâ horâ cum Sponsa concumbere vellet, illud idem sentiret & audiret. Erat sanè aliàs valens, & domi aptus, & militiæ. *Impotentia Venerrea.*

Tandem uxoris querelis commonitus, rem parentibus detulit. Illi, habito consilio, *Palumbo*, cuidam *Presbytero* suburbano, rem pandunt. Is autem erat *Necromanticus*, & in Maleficio potens. Illectus ergo promissis multis, compositam epistolam dedit Juveni, dicens: vade illâ horâ noctis ad compitum, ubi quatuor viæ conveniunt, & stans considera. Transient ibi figuræ hominum utriusque sexus, omnisque ætatis & conditionis, equites, & pedites, quidam læti, & quidam tristes: quicquid audieris, non loquaris: sequetur illam turbam quidam staturâ procerior, formâ corpulentior, curru sedens: huic tacitus epistolam trades legendam, statimque fiet, quod postulas. Ille autem Juvenis totum implevit, ut edoctus erat; viditque inter cæteros ibi mulierem in habitu meretricio, mulam inequitantem, crine soluto per humeros jactato, vittâ aureâ superiùs constricto, auream virgam gerentem in manibus, quâ mulam regebat: præ tenuitate vestium penè nuda apparebat, gestus exequens impudicos. *Necromanticus.* *Spectra.*

Ultimus Dominus turbæ terribilis, in Juvenem oculos exacuens, ab axe ſuperbo, ſmaragdis & unionibus compoſito, cauſas viæ ab eo exquirebat. Nihil ille contrà, ſed protensâ manu *epiſtolam ei porrigit.* Dæmon, notum ſigillum non audens contemnere, legit ſcriptum, moxque brachiis in cœlum elevatis: Deus, inquit, omnipotens, quamdiu patieris nequitias Palambi Presbyteri: nec morâ, ſatellites ſuos à latere mittit, qui annulum extorquerent à Venere. Illa multùm tergiverſata, vix tandem reddidit.

Potentia Venerea reſtituta.

Ita *Juvenis voti compos*, ſine obſtaculo potitus eſt diu ſuſpiratis amoribus. *Palumbus* autem, ubi Dæmonis clamorem ad Deum audivit de ſe, intellexit, ſibi præſignari finem dierum. Quocirca omnibus membris ultrò citroque truncatis, miſerabili pœnâ defunctus eſt, confeſsus coram populo Romano inaudita flagitia. *Vincent. Burgundus Belovacenſis Specul. Libr. 26.*

Sacrilegus condemnatus.

Casus XXV.

Viri nobilis, qui ex Faſcinatione varii coloris Sericum per urinarium meatum, lotii loco, perpetuò excrevit.

Vir.

VIr nobiliſſimo ſtemmate ſatus erat, cujus nomen, patriam atque prædium indicare, non ſine ratione religioni mihi duco: is à maleficis hominibus per Incantationem eo adactus eſt, ut urinæ loco, *Sericum cœruleum, rubrum, viride, ruſſum,* & *flavum*, nunquam non *mingeret.* Hoc ludibrium quanquam Medici Faſcinationi adſcripſerint; nihilominus tentarunt, multifariis remediis id averruncare; ſed quorum nullum hujusmodi ſupernaturale Malum tollere, aptum natum deprehendebatur.

Mictio Serici divers. color.

Jam verò quemadmodum nonnulli Nobiles, imò adhuc præſtantiores Perſonæ in ſimilibus Caſibus, temerario auſu, in Petram ſuam, hoc eſt, Chriſtum, deſperant, & loco

co indesinentis Dei invocationis pro salutari auxilio, ad Exorcistas, Præstigiatores, & hujus farinæ veneficos homines, confugiunt; ita idem quoque placebat *Basiloro* (sic hâc vice hic cluet) accersit carnificem, de quo infamis ferebatur fama, quòd singulari arte omnia Fascinamenta abarcere, ipsosque malos Genios potentibus exorcismis domare valeat; speciminibus variis jam dudum exhibitis.

Quid fit? adest haud morâ crudelissimus tortor, ante omnia ipsam hanc bombycinam mictionem suis oculis intuiturus; quod cùm ilicèt fieret, revera videt, imminente necessario reddendi urinam usu, non lotium, sed nil nisi Sericum ex urinario meatu promanare.

Has ergo præstigias conspicatus carnifex, nempe excretionem Serici tantorum colorum, mox exclamavit, *Incantationi* hæc omnia deberi, pollicitus, se præstigiatoriâ arte suâ effecturum, ut Nobili veneficos illos homines, à quibus ipsi hocce malum illatum sit, cominus videre liceat. Primùm propinat illi haustum quendam (fortassis poculum magnanimitatis,) eidemque simul, ac cæteris duobus præsentibus, præcipiens, quomodo sese in hoc actu habere debeant, ne quid adversi ipsis eveniat. *Incantatio.*

Tunc conclavi egreditur, cellamque descendit, ut conficiat, quod malo animo sibi proposuerat, & satis diu ibi commoratur, nempe ad integram horam cum dimidia.

Interea non solùm ante hypocaustum, & in ædibus, horrendus strepitus exauditur, sed & circum prædium procellosa tempestas ingruit, adeò, ut iis in hypocausto permanentibus, omnia corporis membra horrerent, omnesque comæ, præ timore, starent, trepidarentque.

Tandem redit nefarius Exorcista, cujus facies cadaveris instar pallescebat, & cujus frons spisso sudore stillabat, asseverans, omnibus adstantibus jam, omni sedato strepitu, sine periculo in cellam procedere licere, ubi Fascini hujus rei sistere se cogantur, Sic ipso noctis medio, quippe quod

hujusmodi tenebrarum actibus plerumque consecrari solet, omnes in cellam descendunt; ubi cùm Carnifex unà cum aliis præsentibus, facto circulo, constitisset, adhibito exorcismo, ingrediuntur duæ ipsis notissimæ personæ, ex quarum alterâ ætate majori Carnifex sciscitatur: *cur nobili huic Viro molestissimum hunc affectum affricuerit?* At quia primâ & secundâ vice nihil responsi dedit; tertiùm quærit. Ad hæc illa persona (vel potius spectrum) *quid tua*, inquit, *hæc percontari refert?* De his rebus tibi rationem reddere neutiquam teneor. Hoc dicto, terga vertit spectrum, & unum eorum, qui tùm præsentes aderant, quique hospes tantùm Nobilis hîc comparuit, his affatur verbis: *& quid tibi hîc rei est?* qui ad hæc verba vehementer cohorruit: cæteris omnibus sine ullo ægrotantis levamine discedentibus, ubi quæ tandem ille fata fuerit expertus, juxta cum ignorantissimis scio, memoriâque mihi excidit. Suspicari tamen licet, malè feriatam Diaboli plebem ob patrata facinora adhuc aliquandiu infelicem torsisse hominem. Ex *Erasm. Francisci Proteo Infernal. c. 66.* nunc demum primùm ex Germanic. in Latin. translat.

Affectus permanet.

Casus XXVI.

Viri, desperato Morbo, correpti, qui rejectis per os aliquot frustis Vitri, & Cincinnis, dato à Venefica consilio, iterum convaluit.

ANno 1587. *Mens. Septembr.* in *Rhenano Richæo* dicto *pago* contigit, ut quidam *Nicolaus Wannesonius* in adeo *desperatum* inciderit *morbum*, ut omnis omnino spes redintegrationis decollarit. In hunc autem deploratissimum affectum in vicinia, quæ habitavit, *Saga*, miserum *præcipitasse*, non vanâ conjiciebatur suspicione, qui propterea neminem non apud se divertentem sollicitâ curâ implora-

Morbus desperatus.

ploravit, ut consilium auxiliumve suppeteret, quo pristinam sanitatem recuperare liceret; prout in chronicis & periculo plenissimis hujusmodi affectibus plerumque fieri solet. Hîc casu aliquando accidit, ut hæc ipsa Saga decumbentem cum aliis inviseret; quæ haud cunctanter vel commiseratione ducta (nam & Sagæ misericordes videri volunt) vel verita, ne hac de causa accusetur, inque carcerem fortè conjiciatur, (uti futurum, rumor datâ operâ spargebatur) suâ sponte narrare occipit, se plurimos vidisse, similibus doloribus excruciatos, ab iisque iterum fuisse liberatos, quàm primùm Sancto alicui vota fecerint, atque exsolverint; hocque nomine præ cæteris *Belli Bernhardi Sacellum* celebre esse, quippe qui nunquam à quoquam, suâ memoriâ, precibus fuerit fatigatus, quin ei integram procuraverit valetudinem; mittat ergo sine hæsitatione suo nomine ægrotus, qui pro ipso in *Sacello* isto unà cum necessariis muneribus se sistat, atque ægrimoniam consuetis precibus expiet; nec morâ aderat, qui certâ mercede conduci passus, iter illud eò direxit, cui nomen erat *Johann. Jacobus*, qui re optimè gestâ, hocque negotio, summâ, ut debuit, diligentiâ, confecto, domum tandem rediit, ubi indicatâ horâ, quâ *votum* suum *nuncupaverit*, simul ac *persolverit*, comperit, *eâdem* & Wannesonium *convaluisse*, ingenti dolore tum per vomitum eructatis aliquot *Vitri frustis* atque *Cincinnis*; quæ res ipsi etiam Joh. Jacobo ideò in patina monstratæ sunt, ne quicquam dubii de miraculoso hoc relinqueretur casu; pro cujus indubitatiori confirmatione præterea testium loco auditi sunt & *Matthias Hay*, & *Matthæus Major*, & *Nobis Peter*, & plures alii, qui omnes unum idemque constanter asseruerunt, tametsi diversis in locis fuerint interrogati. Hanc historiam habet *Nicol. Remigius Dæmonolatr. Libr. 3. c. 1. p. m. 347. seqq.* quam ex vernaculo in Latinum nunc demum vertimus.

S. Bernhardi Sacellum.

Convaluit.

Vitri frusta & cincinni per Vomitum reject.

Testes rei.

Casus XXVII.

Mulieris, quæ Claves Fascino illatas, Vomitu rejecit.

Mulier. Claves per os rejectæ.

ANno 1588. *Mens. Octobr.* Cognata mea, juvenca *mulier*, duas mihi monstravit *Claves*, quas multo cum muco *per os rejecerit*, idque in conspectu omnium eorum, qui tum in iisdem ædibus præsentes aderant; unde nobis omnibus, quibus de ægrimonia ejus constabat, facilè conjicere licuit, dudum perpessum morbum ab illis ipsis pependisse clavibus, quas præterito anno Nicolæa Stephana, famosa illa Venefica, *per Fascinationem ei intulerat.* Post illos enim enormes Vomitus, abdomen, quod antea saxo ferè durius erat, ilicò concidit; quo factum, ut mulier subinde *meliùs habere* cœperit. Hanc quoque historiam narrat idem *Nicol. Remigius ibid.* nempe *Dœmonolatr. Lib.* 3. *c.* 1. *p. m.* 349. quam itidem ex Germanica in Latinam linguam nunc demum transtulimus.

Claves Fascino illatæ

Melius habet.

Casus XXVIII.

Mulieris, quam Venefica aspero Pulvere fascinavit, indeque Febre, Pedum Dolore, illorumque digitorum Incurvatione, affecit, atque iterum sanavit. Cum Annotationibus notatu dignis.

Stephana.

EAdem in præcedenti Casu nominata *Nicolæa Stephana* anno 1587. *Mens. Decembr.* in *Arcem Dammatrinum* vocata, pactâque mercede conducta, ut tunc ibi locorum *grassans pestilentiæ* contagium, pro suâ, quâ pollere credebatur, potestate, *averruncaret*; id quidem sollicitâ curâ præstitit; at cùm restitutâ pristinâ aeris salubritate, iterum, solutâ mercede, & citiùs opinione suâ, dimitteretur, id ægrè tulit, quòd lautis inde haustis reditibus jam carere debeat. Quapropter occasionem aucupatur, quâ discessum

Saga Pestem averruncat.

ſum ſuum aliquandiu remorari queat, hincque in Arcis illius *Cellarii Uxorem*, quòd maleficæ Fæminæ abitionem anxiùs juverit, adverſi quid transferre meditatur, ſpe, fore, ut pro ærumna illa repellenda præſentis conſilium auxiliumque denuo implorandum ſit. Quare in veſtibulo conclavis ſtans omnia alia cogitantem *Cellariam* hiſce alloquitur verbis: ſiſte gradum Domina! ut plicas collaris tui explicare poſſim: quo facto, ſimul digitis ſuis comprehenſum *veneficum Pulverem* nefario auſu ſubdolè *collo ejus aſpergit*; ubi actutùm vehementisſimus *horror rigorque febrilis* inſontem Fæminam invaſit, & paulò poſt adeo *enormes cruciatus ejus crura* occuparunt, ut *digiti pedum usque ad talos deformiter inde incurvarentur*, id quod cùm domeſtici vidiſſent, Sagam prehenderunt, inq; carcerem præcipitem dederunt, hac additâ comminatione, ſe eam pugnis atque fuſtibus quaſi murenam exoſſaturos, neque prius ab hinc dimiſſuros, quàm Heram à Faſcino liberaverit, atque reſtituerit in integrum. Quibus minis auditis, miſerandum in modum lamentatur, vociferans, ſummam ſibi fieri injuriam, indignamque rem eſſe, fidem ſuam atque operam, quâ peſtem antehac profligaverit, tanto dedecore compenſare velle, nec aliud exſpectandum eſſe, quin, niſi à propoſito deſiſtant, laqueo vitam ſibi ipſi abrumpat. Ut autem animadvertit, omnes has lamentationes ad ſui liberationem nihil valere, aliud inſtituit, dicens, ſi ſtet ſententia, ut *Cellariæ* ablatam ſanitatem reddere cogatur, ſaltim tantillum moræ concedant, quò aliquod excogitare poſſit præſidium, ad hujusmodi morbi genus abarcendum quod aptum ſit natum. Non multò pòſt aſſeverat, memoriæ occurriſſe infallibile remedium, quô afflictæ ſanitatem indubitatò recuperare liceat; notas enim ſibi eſſe *herbas* quasdam, quibus ſi in balneo dolentes partes probè fricentur, ceſſare omnes dolores, & ægrotantem mox convaleſcere, ſolere; hoc unum rogitans, ne ſibi ſuccenſeant, ſi

Cellarii uxor faſcinatur.

Pulvis veneficus Cellariæ aſperſus.

Febris, Pedum dolores, illorumque digitorum incurvatio.

paulò longius temporis ſpatium ad ſanationem hanc exoraverit; quandoquidem ægrimonia hæc non ita conſtituta ſit, ut tam facilè, tamque citò, tolli queat.

Jam verò cum Lamia aderat Filius, qui cùm intellexiſſet, quid actum hactenus ſit cum Matre ſuâ, non immeritò veretur, ne idem & ſe ipſum maneat; quare conſcientiâ agitatus, nocturno tempore, quo alto ſomno ſepulti omnes ſtertebant, ex ſuprema Arcis parte, tenacis funis beneficio, in imum ſe demiſit; ſed qui altero ſtatim die in fuga correptus, catenisque vinctus eſt, atque pòſt, interrogatione inſtitutâ, cur clam ſe ſubduxerit? quicquid ſcivit, ſponte recenſuit, ultrò unà faſſus, ſe ſolum matri conſilium dediſſe, ut ſupra dictum præſidium proponat, quò occaſionem nanciſcatur, diutiùs in Arce commorandi, idque *balneum nil quicquam eſſe profuturum, & hæc omnia in ſpeciem tantùm hac fini à Sagis agi ſolere*, ut vulgus perſuadeatur, curationem hujus generis morborum naturalibus mediis, & ordinariâ ratione, perfici; jam verò nihil amplius ſupereſſe auxilii, quàm ut exſpectetur determinata atque præfixa illa dies & hora, quâ redintegrationem valetudinis conſtituit venefica mater, cùm morbum primitùs intuliſſet; interea autem temporis *Cellariam* inflictos dolores indeſinenter perferre debere, fore tamen nihilominus, ut tunc omnes cruciatus certò evaneſcant, præter ſolam aliquandiu adhuc fortè remanſuram membrorum impotentiam: neque quicquam horum mentitus eſt; quandoquidem omnia revera ita contigerint; eâ enim ipsâ horâ, quam prædixit, *morbus* quidem *ceſſavit*; ſed qui ſubſequente ſtatim nocte multò vehementiori impetu reverſus eſt, & quidem ideo, quia Sagam pœnituit, quòd *Cellariæ* iterum mederi in animo habuerit; hincque eam denuo de novo faſcinavit; hoc cùm Filio altero die exprobraretur, quòd nempe mendaciis ſe expedire ſtuduerit, irâ dicam, an malitiâ, accenſus, quid proferat, juxta cum igno-

Herbas & remedia naturalia nihil in faſcino valere.

ignorantissimis scivit, nisi quòd consuluerit, matrem *verberibus indesinenter contundere*, certus, eam nullâ aliâ, quàm hâc solâ ratione, coerceri posse. Iccirco duo robusti rustici eam prehenderunt, crassisque vitibus malè mulctarunt, pedibus etiam subtuderunt, hincque & inde devolverunt, atque tandem diris minis impleverunt, velle se eam in proximè exstructum rogum projicere, nî spondeat atque restituat agræ hoc ipso adhuc die, imò hac ipsâ horâ, desideratam sanitatem; id quod etiam sine ulteriori mora, præsentibus aliquot hominibus, præstitit, comedendum propinato Pomo albo consperso *Pulvere*, quo *Cellaria* ilicò *convaluit*. Posthæc tandem juxta latam promissionem dimissa quidem est malefica Stephana; cùm verò abiret, jamque usque ad Arcis vestibulum pertigisset, aliquot lictores, jussu Judicis, eam reduxerunt, inque carcerem conjecerunt, ubi haud cunctanter, quicquid hactenus diximus, confessa, atque tandem unà cum Filio igne combusta est.

Verbera Sagas placant.

Pulvere cum Pomo comesto agra convaluit.

Ex hac Historia discere atque *notare* licet: (1.) quòd externa præsidia, ut sunt Herbæ aliàs minus usitatæ, Unguenta, Balnea, & similia, quibus Sagæ uti consueverunt, ad tollendos morbos nihil valeant, sed quòd Magi ea tantùm in speciem prætexant, ne agnoscantur, neve in manus magistratûs incidant: (2.) quòd hujusmodi remedia nunc saltem in finem fingant, atque proponant, ut homines *ad idololatriam pelliceant*; hinc suadent, peregrinationes ad peculiarem Sanctum instituere, Missas pro defunctis celebrare, sacras Lustrationes adhibere, vota nuncupare, victimas dare, & similes pias obire functiones, quibus plurima christianorum pars alioquin vacare solet: (3.) quòd Sagæ ad hæc & similia asyla confugere jubeant, ut homines fiduciâ in Christum, in quam unicè propendere deberent, excidant, quando nempe spem suam redintegrandæ sanitatis, in quibusdam eduliis, aut potulentis, ex Veneficarum ædibus petendis, collocant, quæ illæ lubentissimè concedere solent, tametsi

Notanda.

Remedia naturalia contra Fascinum nihil valent.

Sagæ ad idololatriam pelliciunt homines.

tametsi cum aliquo rei suæ domesticæ nocumento fiat, in sinu gaudentes, si modò vulgum eo erroris perduxerint, ut sibi persuasum habeat, talem panem, aut alia talia medicamenta adeo efficacia, atque salutaria esse, ut ad sanitatem restituendam facere valeant: (4.) quòd Satanas id, quod semel accepit, haud facilè dimittat; sic ut, ubi semel, rogatu suorum asseclarum, hominem quempiam in morbum præcipitem dederit, eum non ampliùs auferat, nisi hujus loco majus infortunium concitare sciat: (5.) quòd curationem sæpe differat, frustraque sint omnes illi, qui precibus instant, ut curationem temporiùs instituat, ægrumve sanatione citiori beet; adeoque nunquam non id agat, ut prærogativam aliquam adipiscatur. Et hæc Historia desumpta est ex *Nicol. Remigii Lib. 3. c. 3. p. m. 371. seqq.* quam itidem nunc demum latinitate donavimus.

Diaboli techna.

CASUS XXIX.

Viri, per integrum triennium incurabili Morbo detenti, quem Saga, ex propria confessione, primùm intulit, dein avertere promisit, & tandem revera propulsavit.

Viri.

TErtius jam agebatur annus, quòd *Stephanus Noachus Madrensis Castinæ*, adeo vehementi detentus est morbo, ut tantùm non ipsa ratio inde labasceret, cùm *anno* 1586. *Mens. August.* de recuperanda sanitate ex naturali sive Medico fonte hauriendâ penitùs desperans, ad Magos tandem confugere constituit. Inter hos eo tempore præ cæteris aliquis hac in Arte celebris erat Granvillæi, cui præsenti omnes animi atque corporis sui affectus explicat. Hic asseverat, quidquid *adversi* patiatur afflictus, id omne *intulisse* malitiosam *Fæminam*, quam domum suam reversus, in eadem cum Uxore suâ confabulantem offensurus sit. Hanc tenaci vite collum tenus, sine ulla mora, audacter vincire,

Venefica suspecta.

cire,

cire, ſeveriſque minis impetere jubet, haud aliter, ac ſi actutùm interficere eam vellet, niſi priſtinam ſanitatem reſtituat. Hæc omnia ita ſe habere, domum reverſus, utique comperit, facitque proinde cum aſſidente Uxori ſuæ *Pariſetâ Novavillanâ* dictâ, uti doctus erat; quæ extemplò pedibus ejus ſe provolvit, per Dei gratiam rogitans, ut ſibi ignoſcat, paratiſſimæ, *redintegrationem* citra omne dubium ei *accelerare*, ſi modò in omnibus iis obedientiam præſtare voluerit, quæ ſit præceptura, in his ferè conſtantia: (1.) ne ſibi religioni ducat, oblatum *pyrum* comedere, quòd, etſi ſaxeam duritiem induiſſe videatur, re tamen verâ non ita, ſed futurum ſit, ut mox in manu retentum cocti aut aſſati inſtar molleſcat: (2.) ut poſt hæc ſtatim cubitum eat, quòd in extremam virium imbecillitatem ſit delapſurus. Conſentit miſer, compromittens, ſe libenter facturum, quicquid oneris imponere placuerit, ſaltim ut ſanitatem recuperet. Deglutit itaque durum atque inſipidum *pyrum*; quo facto, mox Stomachus non aliter ardere occipit, ac ſi ardentes carbones ingurgitaſſet: quare eum ſine mora in lectum ſepeliunt adſtantes, rati, extrema jamjam inſtare. Uxor inde perterrita, duas conducit Fæminas, quæ ægrotantem noctu obſervent, quibus Saga quoque ſe aſſociat, triſtem & ad omnem commiſerationem compoſitum fingens vultum: quid hoc amplius? utrique Fæminæ clanculùm *Pulverem* aſpergit, quo fit, ut profundè *obdormiant*; & interea ægrum humeris ſuis impoſitum è cubili in aream deportat, ubi terribili Urſo ſtanti dormientem imponit, cumque eo aliquoties hinc inde deducit. At Urſus Diabolum ipſum mentiens, & ſub hoc moleſto onere crebriùs gemens, id excutere tentat, doletque, quòd homini præter naturam ſuam gratum facere debeat. Unde Urſum depellebat, ſeveriſque increpabat verbis, apage ſis, inquiens, pigra & truculenta beſtia! ſiccine fidem mihi præſtas? cur me haud ita pridem coegiſti, ut miſerum

Venefica auxilium pollicetur.

Venefica quæ jubeat?

Pyrum toxicatum.

Pulvis ſomnum inducens.

Diaboli ludibrium.

hunc hominem citra voluntatem meam tam diu miserandum in modum excruciare atque torquere debuerim? uti hæc omnia ipse ægrotus, quæ ea in Urso sedens, & vidit, & audivit, palàm ac sine hæsitantia fassus est, & edixit. Interea temporis expergefactæ duæ illæ Fæminæ, dum neminem in cubili inveniunt, omnes ædium angulos perquirunt, tandemque infelicem *Noachum* unà cum *Saga* in area reperiunt, sciscitantes, eccur solus & quidem nudus cubili egressus sit? ad quod Saga responsum præoccupat, dicens, nonne videtis, me eum ideo huc transtulisse, ut alvum exoneret? At reliquæ Fæminæ nihil ad hæc regerebant, eo unicè nitentes, quomodo insontem *Virum* citra moram in lectum referre liceat; id quod dum moliuntur, vix omnes eum reportando pares sunt, quem tamen antè Saga sine omni difficultate extulerat. Jam cùm vi prioris contractûs *Noacho*, præstitis præstandis, pristina valetudo utique restituenda esset, & tamen nihilominus adhuc nonnulli cruciatus eum affligerent, prætexere Saga non dubitavit intempestivum illarum Fæminarum interventum, asserens, eas curationem sufflaminasse, quòminùs desiderata hactenus sanitas reversa fuerit; hac additâ pollicitatione, intra

Convaluit. proximum octiduum indubitatò omnes *dolores cessuros, integramque valetudinem redituram* esse; id quòd etiam *revera ita contigit.* Saga autem hæc hujus aliorumque criminum publicè convicta, tandem in carcerem conjecta est; sed ubi vinculis paulò pòst excussis, abiit, excessit, evasit, erupit. Hanc quoque Historiam ex *Nicol. Remig. Dæmonolatr. Lib. 3. c. 3. p.m. 377.* similiter decerptam itidem nunc demum Latinè reddidimus.



Casus XXX.

Pueri, cui Venefica gravissimum Morbum intulit, &, fustibus coacta, iterum ademit.

Cùm aliquando cum Principis mei intimo aliquo Consiliario varios reciprocarem sermones de Incantationibus; ille mihi notabilem retulit Casum de Filiolo suo. *Filiolus* meus, inquit, derepentè in extremam virium incidit debilitatem: hanc Vetulam veneficio intulisse, non adeo vana erat suspicio; priùs autem, quàm propterea eam accusare auderem, quicquid rescire, ad rem præsentem facere posse deputavi, ex nutrice, quippe quæ eo ipso temporis articulo, quo Infans morbo primùm corripiebatur, eum in ulnis gestavit, sollicitâ curâ percontatus sum, non intermissâ etiam diligenti in ipsius morbi naturam institutâ inquisitione, num scilicet ex eorum affectuum sit genere, quales aliàs frequentiùs infantes prehendere solent, nec ne? Certus itaque, morbum ab *Incantatione* dependere, & ab illa ipsa Vetula fuisse illatum, visum est, eam ad me accersere; ubi in domus meæ secreto conclavi non destiti, precibus primò eam fatigare, ut haud gravatim consilium suggerat, quô Puero sanitatem recuperare liceat, quanto quanto etiam constet pretio; ast his nihil quicquam proficientibus, satis *crassum* hunc in finem paratum *fustem arripio*, eoque *Vetulam* tam diu *contundo* atque *dedoleo*, usque dum stipulata fuerit, se velle omnia libenter præstare, quæcunque postulavero: hoc unum saltem petiit, ut tantillum induciarum sibi detur, quò interea apparare queat, quæ ad hoc opus necessaria sunt. Hoc etiam temporis spatium cùm concederetur, jamque in eo esset Vetula, ut curationem pro lubentia exordiretur, confestim adhibuit *remedia* quædam, & quidem tantùm in *speciem*, atque ut *sceleratam Artem suam iis obvelet*; non verò quòd illis habuerit opus; quicquid autem sit, Puerum certè paulò pòst *integrè* resti,

Puer.

Verberatio Sagas exsolvit.

Sagæ remedia naturalia in speciem tantùm adhibent.

Convaluit. *restituit*, adhuc ſanum, ſalvum & ſoſpitem. Nec minùs hunc Caſum à *Nicol. Remig. Dæmonolatr. Lib. 3. c. 3. p. m.* 363. mutuavimus, & nunc demum Latinè dedimus.

Casus XXXI.

Pueruli, cujus caput dum Venefica tangit, gravem Morbum in eum transfert, ſed cui coacta certis ritibus iterum medetur; illato contrà alio Veneficio in Pecora.

Ex ore Amicorum meorum non poſtremi, *Antonii Blyenſtein, Quæſtoris Ærarii Ditionis Domnatriæ*, hunc habeo Caſum. Cùm, inquit ille, aliquando *Filiolus* meus cum matre ſua frequentaret eccleſiam, atque paululùm, ut pueruli ſolent, ludendo oberraret, ac ſecederet, fortè præteriens *Vetula caput* ejus blandè *demulſit*, haud aliter, ac *ſi humaniter ei fuiſſet abblandita*; addidit etiam inſuper bona verba, iisque effuſis, celeri greſſu templo egreditur. Poſt hæc Puer eâdem horâ *caput inclinare* occipit, & *vix pedibus ſtare* poteſt, lachrymasque cum ploratu profundit, haud vano indicio latentis alicujus morbi, qui paulò pòſt domi manifeſtiſſimè ſe exeruit, & ſubinde ingraveſcere viſus eſt: unde quivis ferè unus culpam cauſamque hujus mali in Vetulam illam, ceu de Faſcinatione jam ante admodum ſuſpectam, & tantùm non convictam, tranſtulit. Quapropter eam nonnulli vicini vi eò adigerunt, ut *promiſerit, Puerulum ab hac labe ſine mora iterum liberare.* Vix advenerat, cùm & ipſa, & Infans, confeſtim ægrotare inciperet; & illius quidem labia atque os primò circumcirca livebant, & mox plurimam ſpumam efflabat, idque ſummâ omnium adſtantium cum admiratione, atque metu, jamjam imminentis inſaniæ: interea dum ingruit nox, malè ſana Fæmina prætendit, non poſſe ſe meliùs Pueri ſalutem adjuvare, quàm ſi concederetur, ut unà cum

Puerulus.

Venefica abblandiendo morbum infert.

Vetula promittit restitutionem.

eo uno in lecto cubat; quâ veniâ impetratâ, brachia sua super Infantem extendit, suumque os Infantis ori arctissimè applicat, haud aliter, ac si spiritum jam restitaturum, iterum inflare vellet. Quid? quòd vigiles fæminæ, quæ illâ nocte malè habentibus adstiterunt, edixerint, circa Puerum *Vespæ strepitum* sive *susurrum* tam diu auditum esse, quàm diu Evangelium Johannis pueri pileo, contra Fascinum aliaque infortunia infixum, erectum steterit: nec resciri potuit, Sagane, an ejus Spiritus seu malus Genius id abstulerit. Hoc autem certum est, Puerum, qui heri in limine lethi hæsit, altero die *optimè habuisse*, ac sine omni difficultate salvum & vegetum processisse. Verùm Sagæ non satis hoc erat; nam ut pro præstito hoc beneficio aliud lucretur commodum, eo ipso temporis momento *maximam partem pecorum* illius Domini *Fascinatione* pessundedit, ac labefactavit. Ex *Nicol. Dæmonolatr. Lib.* 3. *c.* 3. *p. m.* 364. *seqq.* unde hunc Casum hausimus, & nunc demum ex Germanico in Latinum convertimus.

Ritus medela.

Vespæ susurrus.

Convaluit.

Saga eadem etiam pecora fascinat.

CASUS XXXII.

Viri docti, qui, enato Tumore & Punctionibus in hypochondrio, Febreq; triennium perdurante, tandem Vomitu Sanguinem nigrum, Gypseam materiam, Lapillos, nec non fragmentum Cultelli scriptorii, rejecit, & à Venefica restitutus est.

ETsi reperiantur non pauci, qui Morbos ab *Incantatione* & *Veneficio* dari, negant, quorum antesignanus est *Wierus*, icciroo Sagarum Patronus dictus, qui *Libr.* 3. *de Præstig. Dæmon. c.* 14. defendere conatur, Sagas non invehere eos Morbos, quorum se fatentur effectrices esse; affirmantium tamen rationes & argumenta, nec non historiæ à pluribus Authoribus hinc inde consignatæ, longè aliud evincunt; ex quibus abundè constat, Sagarum, Lamiarumque operâ quàmplurimos variis modis læsos esse. Eludit

Incantatio neg.

affirmatur.

quidem omnis historiæ hujus fidem *Wierus*, & inter fabulas referendam esse putat, sed verosimile non est, tot tantosque Viros figmenta & fabulas literarum monumentis tradidisse; & attestantur hoc ipsum Acta publica in Judiciis passim consignata, quæ in dubium vocare, temeritatis est. Possem vel ipse certitudinem hujus rei exemplis quàmplurimis hactenus à me observatis demonstrare, sed, ne actum agere videar, pauca tantùm promam.

Vir doctus. Anno M. DC. XXV. Vir quidam doctus, & Jurium Licentiatus, ex peregrinatione, quam in Gallias & Hollandiam susceperat, domum redux, in Febrim quartanam incidit, cum insigni *tumore & punctionibus sinistri hypochondrii*; adhibita varia & exquisitè comparata remedia, sed irrito conatu, *Febri in tertium usque annum* cum symptomatibus gravissimis, & captum ferè superantibus, invalescente, adeò ut pro derelicto haberetur Æger. Interea Vetula quædam lini fila divendens, in conclave, ubi decumbebat Patiens, admissa, sponte, & curiosiùs in morbum inquirebat, contrectatisque hypochondriis, remedium pollicebatur, quod etsi initio recusaret Æger, ratus cum Chrysostomo, *satiùs esse homini christiano, mortem obire, quàm vitam Ligaturis vel Incantamentis redimere*; victus tamen precibus Parentum, & desiderio reconvalescentiæ, admisit, præsertim ubi Medicinam ex remediis naturalibus, herbis scilicet, radicibus & floribus, constare, juratò quasi assereret mulier; erat enim *Decoctum* longum & valdè amarum, *Enulam* propemodum & *Gentianam* redolens. Jussit Vetula, singulis matutinis & vespertinis, bonum haustum istius Potionis calidè assumeret; quod ubi bis vel ter factum esset, frequenti vomitu, primò ingentem vitiosorum humorum copiam, postmodùm *sanguinem nigrum* & concretum, postremò materiam quandam *gypseam*, & cum hac *Lapillos quindecim varii coloris*, *Acus* item *musco involutas*, & inter has *Cultelli scriptorii fragmentum*, cum portiuncula *Manubrii*

Tumor & punctiones hypochondr.

Febris trium annorum.

Remedium.

Vomitus Sanguinis nigri. Gypsea materia, lapilli, fragmentum cultelli scriptorii, per os reject.

brii eburnei rejecit, tumore hypochondrii ſiniſtri manifeſtè quaſi evaneſcente, punctionibusque ex toto ceſſantibus, quin & febri penitus ſublatâ, adeò ut, qui ad extremam maciem redactus, vix oſſibus hærebat, brevi temporis decurſu, priſtino vigori & corpulentiæ, quâ antea præditus erat, reſtitueretur. Ex *Balthar. Tim. à Guldenklee Cas. Med. Lib. 7. Cas. 24.* *Convaluit.*

CASUS XXXIIII.

Puellæ ſeptem annorum, horrendis Inſomniis, Metu de Araneo noxio concepto, Incubo, Luxatione & Contorſione Artuum, per Veneficium aliquandiu vexatæ.

ANno M. DC. XXXIV. Domeſticis meis litigium interceſſerat cum Anu quadam de veneficio ſuſpectâ. Paulò pòſt *Filia* mea GERTRUDIS SOPHIA, *ſeptem* circiter *annorum*, *horrendis Inſomniis* correpta, modò aquis ſubmergi, modò per auras volitare, modò *Incubo* premi, maximè verò ab *Araneo raræ magnitudinis* etiam vigilans infeſtari, videbatur, adeò ut noctu ſæpiùs exclamaret, ſe jam jam perituram, niſi ſubitò ab Araneo impendente liberaretur; accenſum iccirco ſæpiùs lumen, perquiſita & mutata lectiſternia, excuſſi omnes anguli; at nihil ejusmodi conſpectum repertumve eſt; illa nihilominus immane quantum angi, totoque corpore contremiſcere, frigidum ſudare, pedibus manibusque convelli, Araneumque perpetuò ſibi inſidiari, vociferabatur, & hoc ſingulis noctibus, quas integro ſemeſtri & ampliùs inſomnes ducebat, donec tandem Venefica, criminis convicta, rogo mandaretur. Ex eo melius quidem habere viſa eſt, ſed *luxatâ, contortâque* per Veneficium articulorum compagine, nec manibus firmiter apprehendere, nec pedibus liberè incedere valet, cæterà tamen in hunc uſque diem, Dei præpotentis auxilio, ſalva

Puella VII. annorum. Inſomnia horrenda. Incubus. Araneus maximus. Luxat. & Contorſio.

ſalva & incolumis. Ille porro eandem, in ſenectutis meæ ſolatium, ſervet, & ab omnibus Dæmonis & mancipiorum ejus inſidiis clementer protegat. *Balth. Tim. à Guldenklee Cas. Med. Libr. 7. Cas. 24. p. m. 329.*

CASUS XXXIV.

Virginis, quæ, perpeſſis graviſſimis Symptomatibus, Vomitu rejecit Carbonem, Corticem nucis juglandis, Ceram rubram, Plumbum, Fila linea, Acum crinalem argenteam, Setas porcinas, & poſtea convaluit.

ANno M. DC. LIII. Filia Nobiliſſimi Dn. Johannis Henrici von Horn/ Hæreditarii in Schönebeck &c. in *dolores acutiſſimos infimi ventris* incidit, cum totius *abdominis inflatione & diſtenſione*, ut rumpi metueret. Aderant & *murmura & rugitus inteſtinorum, cibi faſtidium, & nauſea, ructus* frequentes, *reſpiratio difficilis, palpitatio cordis*, aliaque graviſſima ſymptomata, quæ cùm ex levi conſtipatione non parùm augeri viderentur, *Enema* ex emollientibus, laxantibus, & flatus diſcutientibus præſcripſi. At vix injectum, vehementi cum impetu iterum prorupit, nihil præter σκύβαλα quædam vehens, quorum durities ut remolleſceret, flatuumque mirè tumultuantium impetus coërceretur, *inuncto* per carminativa & emollientia ventre, exhibitoque jure *radicum Althææ* cum *vitello ovi* recentis ſubacto, denuo *Clyſterem* repetii: excrevit iterum dura quædam, & quaſi conglomerata, idque enixiori conatu, doloribus immane quantum ſævientibus.

Symptomata graviſſ.

Clyſter.

Inunctio Abdom.

Clyſter.

Repetii *Inunctiones*, adhibitis ſimul internis dolorem lenientibus, ſed fruſtra; unde ad *cathartica* deveniendum erat, inter quæ maximè convenire viſum eſt *Decoctum* meum *laxativum*, nec intentionem deſtituit effectus, plus novies laxatâ alvo, quâ multum atræ fecis excretum eſt, notabili juvamento.

Verùm

Verùm opinione celeriùs *recruduit Dolor*, acceſſit me inſcio quidam Empiricus, Pilulasque tres, quas ex *Laudano opiato* feciſſe, effectus arguebat, ſub veſperam exhibuit. Quievit Ægra per integram noctem, & uſque ad diei ſequentis crepuſculum, ut æterno veterno appreſſam autumarent adſtantes; verùm adhibitis *acidis* ad ſe rediit, quanquam in ſomnum ſubinde propenſa, ut *Lethargum* minitari videretur. Dedi, quæ periculum averterent, nec ſine ſucceſſu. Interea *tamen exaſperatus inteſtinorum Dolor* vires adeò dejecit, ut cordialibus & bezoardicis, metu malignitatis, agendum eſſet. *Dolor recrud. Laudani opiati effectus. ejus antidotum. Lethargus.*

Refectis quodamnmodo viribus, Ægra de *perpetua Nauſea* & vomendi deſiderio querula, *emeticum* conſtanter petebat: exhibui *Sal vitrioli*, mitiora ob virium languorem tentanda, ratus; verùm his nihil proficientibus, ad fortiora adſcendi, & *Infuſum vitri antimonii* ex Vino Hiſpanico exhibui; vomuit plus vicies, rejectis varii coloris humoribus, iisque fœtidiſſimis, poſtmodùm & aliis rebus abſurdis, & Veneficium redolentibus, quas Parentis potius, quàm meis verbis hîc deſcribere, viſum eſt. Sic enim ille in Literis ad D. D. Guldenklee datis, hodie demum primùm ex vernacula in Latinam linguam, in gratiam exterorum, translatis: *Vomitio.*

Præmiſſis præmittendis.

Non poſſum, quin Tibi, Vir Honoratiſſime! ſignificem, *Filiam* meam, exhibito noviſſimo *Emetico*, primùm ingentia *Tormina in abdomine* percepiſſe; quibus præterea acceſſit *animi Deliquium*; à quibus autem paulò pòſt, per Dei gratiam, beneficio *Heroicæ* illius *Aquæ*, quam nuperrimè transmiſiſti, liberata eſt. Poſt hæc vehemens *Vomitus*, qui per integram penè horam duravit, ingruit, quo varias mirabiles & tantùm non ſuper naturales res per os rejecit, ut: primò *Carbonem nigrum* magnitudine Lubecenſis Schillingi, deinde dimidium *Corticem nucis juglandis*, intus carbonis inſtar nigrum, quem mox ſequebatur & alterum dimidium, *Epiſtola Illuſtr. Hornii. Vomitio. Tormina Ventris. Animi deliquium. Vomitu rejectus Carbo, Cortex nucis jugland. Cera rubra, Plumbum, Filum lineum, Acus crinalis*

argentea, Setæ porcinæ. midium, similiter atrum, in quo hærebat parum *Ceræ rubræ*, parva portio *Plumbi*, & *sex* magnæ *Piscis Spinæ*, quæ *Filo lineo* rubro decussatim circumvinctæ erant. Cortex nucis superius perforatus conspiciebatur, non multò aliter, ac si foraminulum illud subulâ fuisset factum. Quid? quòd adstantes etiam in Ventre Filiæ audiverint sonum à disruptione Corticis illius ortum. Tum egessit Misera *Acum crinalem argenteam*, *& sex satis longas Setas* porcinas itidem filo decussatim colligatas. Has omnes res plurimi honesti homines viderunt, quas etiamnum apud me servo. Postea Dolores Ventris omniaque alia symptomata penitus evanuerunt, ita, ut nunc Filia, Deo sit laus, optimè valeat. &c. &c.

Convaluit.

T. omni fide Dedit.

Johann. Henric. ab Horn, mp.

Ex *Balth. Tim. à Guldenklee, Cas. Med. L. 7. Cas. 24. p. m.* 330. 331.

Casus XXXV.

Studiosi, qui, accepto Philtro, post perpessa varia gravissima Symptomata, tandem Capillos, Ligna, Setas porcinas, Ferramenta, rejecit; & tamen iterum convaluit.

Studiosus. Philtrum. ANno M. DC. LV. Daniel Koch, S. S. Theologiæ *Studiosus Philtrum* à Puella quadam Netrice sibi datum, ex eo suspicabatur, quòd inter tripudia & choreas incalescenti poculum obtulisset, quo sumpto, sub auroram diei sequentis in vehementissimos *Ventris cruciatus* & *Tormina*, postmodùm in *Choleram*, incidit, cum assidua & *immoderatâ vitiosorum humorum per superiora & inferiora rejectione*. Auxit suspicionem *Amor*, quo Juvenem alioquin non invenustum deperibat Amasia; accedentibus & aliis indiciis, præsertim quòd ex eo tempore, quo *Philtrum* sumpserat, nunquàm rectè valuerit, variis subinde morbis & sympto-

Tormina Ventris. Cholera. Purg. ἄνω κάτω.

ſymptomatibus tentatus, maximè verò in *Melancholiam* & Solitudinem proclivis, cùm antea ſat hilaris, facetus & ſocietatis ac converſationis fuerit amantiſſimus. Antitotum itaque petenti, præmiſſis univerſalibus, præſcripſi *Pulviſculum* per dies novem ſingulis matutinis ex *Aqua noſtra bezoardica* aſſumendum cum ſudoris elicio. *Symptomata.* *Pulvis.*

℞. *Rad. vincetox.*
contrayerv. ana drachm. duas
Fol. meliſs.
ſcord. ana drachm. unam & dimid.
Sem. hyper. drachm. duas
Margarit. præp.
Corall. rubr. præp. ana ſcrupul. duos
Lap. chryſolit. præp.
ſmaragd. præp. ana ſcrup. unum
M. F. *Pulvis* ſubtiliſſimus pro novem doſibus.

Continuato per novendium *Pulveris* hujus uſu, melius quidem habere, alacriorisque animi eſſe videbatur, ſed brevi gaudio; ſubortâ enim paulò pòſt inſigni *præcordiorum anguſtiâ*, & ſpirandi difficultate, in *Lipothymiam* incidit, à qua ægrè liberari potuit. Recruduére deinceps & *Ventris cruciatus*, in tantum aucti, ut diſſipatis ſpiritibus de vitâ periclitaretur. Supervenit tandem ſubita *faucium præcluſio*, ut jam jam ſuffocandus videretur, niſi in *vomitum* erupiſſet ſui conſervatrix natura, cujus beneficio ingens fœtidorum humorum copia, aliæque res abſurdæ, *Capilli, Ligna, Setæ porcinæ*, noviſſimè & *Ferramenta* quædam aſpera rejecta ſunt. Ceſſante vomitu, qui ultra octiduum duravit, convaluit æger, evacuatis ſcilicet vitioſis humoribus, à quo morbi & ſymptomata illa producta fuerunt. Neque enim credendum eſt, res illas miras, *Ferramenta, Clavos, Setas* &c. revera in corpore fuiſſe, morboque cauſam dediſſe; ſed Diaboli ſubtilitate & velocitate imperceptibili inter vomendum ori injectas, vel extra tantùm admotas *Symptomata alia.* *Capilli, Ligna, Setæ porcinæ, Ferramenta reject.* *Convaluit.* *Faſcinum negatur.*

matus esse', adstantium oculis vel celeritate ejus victis, vel *Fascino* delusis, vel interjectu corporis aërei aut aliter caligantibus. Etenim si præstigiatores manuum agilitate hominum oculos fallere possunt, cur non & Dæmon, mille artifex, idem possit, eaque intuentibus ostentare, quæ nunquam in corpore fuerunt? ut pluribus de hac re disserit *Wierus de Præstigiis Dæmon. Lib. 4. Cap. 2. & 14. de Lamiis Cap. 17. Gregor. Horstius Lib. 1. Epist. Sect. 7.* Quibus & *Sennertus*, refutatis secus statuentium argumentis, assentitur, *Lib. 6. Med. Pract. 9. Cap. 5.* Ex eodem *Balth. Tim. à Guldenklee Cas. Med. Libr. 7. Cas. 24.*

Casus XXXVI.

Ancillæ, quæ, post varia gravissima Symptomata, tandem cum urina excrevit Acus, Pilos, Vitri fragmenta, sex Spintheres, quinque Claves, Sacculum lineum funiculo colligatum; & iterum convaluit.

Symptomata. CAtharina Horningen/ *Geislingensis*, ante annum & quod excurrit, conveniebat me, conquerens, jam diu *suppressione fluxûs menstrui, cephalalgiâ, tussi inveteratâ, dolore dorsi pungente, difficili respiratione, omnium membrorum lassitudine, cordis palpitatione, mirâ inflatione ventriculi ventrisque*, circa vesperam præsertim magis affligente, sese malè habere; equidem multa à multis præclaris Medicis, Empiricisque remedia adhibita, irrito licèt conatu, hinc se ad me venire, non tam spe auxilii, quàm admirationis gratiâ. Ego illam bono esse animo jubebam, inquiens, affectum hunc non esse incurabilem, quamvis longas sæpe moras trahat. Adhibitis per aliquot temporis spatium ergò appropriatis medicamentis, integrè convaluit, ita ut servitia propter morbi gravitatem ab illa relicta continuare decreverit, hocque proposito profecta, satis felici-

feliciter, per aliquot temporis ſpatium, officia ſua ſine incommodo peregerit, donec iterum propter variorum ſymptomatum ſyndromen ſervitia relinquere, atque patriam petere, cogebatur. Appulſu hîc loci facto, medicamentorum pertæſa, illis ut uteretur, adduci non poterat, donec doloribus concatenatis, amicorumque precibus defatigata, me in conſilium advocaret. Adveniens, inveniebam illam languentem, atrociſſimis *doloribus in ventre* afflictam, *Lipothymiis* obnoxiam, ſymptomatibusque nonnullis *ſcorbuti* naturam æmulantibus, ſtipatam. Adhibita ergo varia antiſcorbutica, ſpaſmodica, cordialia & alia ſexcenta, irrito licèt conatu. Malum namque indies exaſperabatur: doloribus, lipothymiis, ſpasmis rigidis ita affligentibus, ut pro mortua decumberet. Circa tempus *urinam reddendi, maximos tulit dolores*, ſibi deſperandum eſſe ejulans, eoque fine aliquoties violentas ſibi inferre voluit manus, quod tamen adſtantium vigilantia prohibuit. Interim Ancilla matulam evacuans fortè fortuna in dicta matula *Acum* deprehendit, quam adventu meo maximâ admiratione oſtentat: quâ viſâ, primum flocci feci, per accidens in matulam veniſſe, exiſtimans. Cùm autem tempore urinam reddendi dolores mirum in modum intenderentur, rurſusque nova in matula inveniretur *Acus*, Malum ex Incantatione factum eſſe, nullus amplius dubitavi. Rebus itaque ſic ſe habentibus, alia, & quidem appropriata remedia præſcribenda eſſe duxi. Commendavi ergo *Eſſent. hyperic. Bals. Pforzheimenſem*, atque alia, à quorum diligenti uſu, per aliquod tempus, *quinque Acus*, quarum una globulum ex cera Hiſpanicâ impoſitum habebat, non ſine maximis doloribus per urinam reddebat, ceſſante per aliquot horarum ſpatium hoc malo, recrudeſcebat: per *mixtionem* nempè *difficilem tres faſciculi Pilorum nigrorum* prodibant: hos quatuor *acuminata Vitrorum fragmenta*, *ſex Spintheres*, *quinque Clavi ſoleares*, partim acuminati, partim jam attriti,

Acus cum urina reddita.

Remedia.

Pili urinâ redditi, itemque fragmenta Vitri, ſex Spintheres, & quinque Clavi ſoleares.

triti, omnes *per urinam* prodeuntes, ſucceſſivè excipiebant. Ab hoc tempore Patiens dolorem fuit expers, maximâ ſalutaris morbi eventûs ſpe nixa. Haud ita multò pòſt hæc tragœdia de novo ſuos actus repetiit: *Dolores* recruduére, advenit *totalis urinæ ſuppreſſio*, Patiente de *doloribus calculi veſicæ*, atque alicujus rei in ductu urinario adhæſione moleſtâ conquerente. Interea mulier quædam inſpectionem adhibens, in ductu urinario aliquid inſoliti obſervat: educit maximâ vi *Linteolum funiculo fortiſſimo colligatum*, quo educto & dolor ſublatus, & urina copiosè reddita fuére. *Sacculo funiculo colligato* inſpecto, ſtatim in eo ante enumerata, perque urinam reddita repoſita fuiſſe conjecturavi, imprimis cùm ſacculus variis in locis propter vitrorum aciem, atque clavos acuminatos, perforatus fuiſſet. Patiens conſtanter adhuc affirmat, in prima nocte novi anni, januam hypocauſti, in quo dormiebat, crepuiſſe, ſimulque aliquid intraſſe, moxque in ſuo ventre fragorem ſe audiviſſe, ac ſi in partes aliquid deſiliret, à quo tempore *Dolores* initium capientes per aliquot ſeptimanarum ſpatium, ut ſuperiùs oſtenſum, Patientem *ſummo languore* atque *Macie* confectam, miſerrimo modo excruciabant. Prædictus ſacculus, adſpirante Divinâ gratiâ, coronidem huic tragœdiæ, nullis extraordinariis rebus per urinam amplius redditis, impoſuit, Patiente hactenus pancraticè vivente. Ex *Ephemer. Medic. Phyſic. Germ. Decur. III. Ann. III. obſ.* 98.

Symptomata recrud.

Sacculum lineum funiculo colligatum per veſicam redditum.

Saga.

Convaluit.

CASUS XXXVII.

Ancillæ, quam Dolores horribiles omnium corporis partium, itemque Ardores Capitis ignei, & Puſtulæ snioſæ totius cooporis, ſubitò ex Faſcino corripuerunt, mox priſtinæ ſanitati reſtitutam, Incantationis materiis in ignem projectis.

Ancilla.

HOneſta quædam *perſona*, & uni ex familiaribus Archiducis matrimonio copulata, in præſentia Notarii &c. ſecun-

secundùm formam juris hæc deposuit. Cùm tempore virginitatis suæ cuidam ex civibus famularetur, accidit, ut uxor illius gravi dolore capitis langueret: pro cujus curatione, cùm quædam mulier accessisset, & suis carminibus & certâ praxi mitigare dolorem promitteret, ego, inquit, ejus practicam diligenter observabam, perspexique, quòd *contra naturam aquæ fusæ in scutellam quandam ipsa aqua in ollam aliam ascendisset*, cum aliis ceremoniis, quæ recitare opus non est, considieransque, quòd ex illis dolor capitis in Domina non mitigaretur, aliqualiter indignata, hæc verba ad Maleficam protuli: vos non facitis, nisi superstitiosa, & hoc propter commodum vestrum. Tunc Malefica statim subjunxit: an sim superstitiosa, vel non? tertiâ die tu senties; quod rei probavit eventus. Nam tertiâ die mane, me sedente & fusum apprehendente, tantus *dolor subitò corpus* meum invasit, primò in *interioribus*, ut non esset pars corporis, in qua non punctiones horribiles sentirem: secundò non aliter mihi videbatur, ac si *continuè igniti carbones capiti meo superfunderentur*: tertiò in cute corporis, à vertice usque ad plantas pedis non fuisset spatium acûs, ubi non fuisset *pustula saniè repleta*.

Veneficii modus.

Dolores horribiles totius corporis subitò invadentes.

Ardor Capitis igneus.

Pustulæ saniosæ totius cutis.

Sicque in his doloribus ejulando, & tantummodò mortem optando, usque ad diem quartum restiti. Tandem maritus Dominæ meæ, ut stabulum quoddam intrarem, injunxit. At ego paulatim incedendo, eo præcedente, dum ante ostium stabuli eramus: ecce! inquit ad me, *pecia panni albi* super ostium stabuli. At ego. Video: tunc ille, quantum potes remove, quia forte melius habebis. Tunc ego, quantum potui, uno brachio me ad ostium tenente, cum altero *peciam* apprehendi. Aperias, inquit Dominus, & considera diligenter ibi reposita. Tunc ubi peciam solvi, plurima ibi reclusa reperi, præcipuè autem Grana quædam alba, ad modum, quo pustulæ inerant corpori meo, Semina quoque & Legumina, quorum similia nec edere po-

Pecia panni albi, it: ossa serpentum & aliorum animalium

Incantationis materias.

teram

teram, nec intueri, cum *ossibus serpentum* & *aliorum animalium* intuita sum. Et sic stupefacta dum requirerem à Domino, quidnam agendum foret? ut in ignem cuncta projicerem, injunxit. Projeci, &, ecce! subitò non post horæ spatium, aut quartale, sed *in momento, ut res illæ in ignem fuerant projectæ, omnem sanitatem pristinam recuperavi. Sprengerus Mall. Malefic. P. 1. Q. 1. c. 12.*

Convaluit ilicò rebus Fascinationis in ignem projectis.

CASUS XXXVIII.

Mulieris, quæ acerbissimos Ventris Dolores, & acutissimas torsiones, Pectus transfigere visas, incurrit, cereâ suâ Imagine similiter acu perpunctâ, sed qui Dolores mox cessarunt, Simulacro isto in ignem projecto.

Mulier.

MUlier quædam maritata & honesta accessit, & juxta juris formam, ut supra deposuit. Retro domum (inquit) habeo viridarium: est & illi contiguus hortus vicinæ meæ. Unde, cum quodam die transitum fieri ex horto vicinæ ad viridarium meum, non absque damno perspexissem, stans in ostio viridarii, & apud me ipsam conquerendo, & querulando tàm de transitu, quàm de damno, vicina subitò supervenit, &, an suspectam haberem, inquisivit? At ego territa propter malam ejus famam, nihil aliud nisi hæc verba protuli: gressus in graminibus damna demonstrant. Tunc illa indignata, quia ad ejus fortè beneplacitum me litigiosis verbis cum ea implicare nolebam, abscessit cum murmure, & verba, quæ protulit, licèt audirem, intelligere non potui. Post paucos verò dies *ingens infirmitas* mihi incidit, cum *doloribus ventris, & acutissimis torsionibus à latere sinistro versus dextrum, & vice versa, quasi duo gladii essent, pectori infixi*, & sic die noctuque clamoribus vicinos omnes alios inquietavi, & confluentibus hinc inde pro consolatione, accidit, ut Lutifigulus præ-

Dolores Ventris, & acutissimæ Torsiones pectus transfigentes.

præfatam vicinam & maleficam, adulterino flagitio habens pro amaſia, ſimili modo viſitationis gratiâ accedens, & infirmitati meæ compatiens, poſt verba conſolatoria abſceſſit. Sequenti tamen die feſtinè rediit, & inter alia conſolatoria ſubjunxit: experimentum capiam, an ex maleficio vobis hæc infirmitas contigerit, quod ſi ſic repertum fuerit, ſanitatem vobis recuperabo. Accepto ergo plumbo liquefacto, & me in lecto recumbente, plumbum in ſcutellam aquæ plenam ſuper *corpus meum appodiando infundit*, &, ubi *quædam Imago & Figuræ diverſarum rerum* ex plumbo congelato apparuiſſent, ecce! inquit, ex maleficio vobis hæc contigit infirmitas, & ſuper limen oſtii domûs una pars maleficii continetur, accedamus ergo, & illis amotis melius ſentietis. Sicque maritus meus cum eo pariter ad tollendum maleficium accedit, & Lutifigulus limen elevans marito injunxit, ut manum in foveam, quæ apparuerat, mitteret, & quæcunque inveniret, extraheret, quod & fecit. Nam primò *Imaginem* quandam *ceream, in longitudine unius palmæ, undique perforatam, habentem duas acus ex adverſo per latera, ad modum quo ipſa punctiones à ſiniſtro latere usque ad dextrum, & è converſo, perſenſerat*, extraxit demum *Pecias panniculorum diverſas, & plurima tàm grana, quàm ſemina, & oſſa, continentes*. Sicqúe illis in ignem conjectis, ego convalui, ſed non ex toto. Nam licèt torturæ & punctiones ceſſaſſent, appetitusqúe comedendi rediiſſet ex integro, tamen priſtinæ ſanitati usque in præſens minimè ſum reſtituta. Unde hoc, quærebam, quòd priſtina ſanitas non redierit? Reſpondit, ſunt & alia inſtrumenta alibi abſcondita, quæ invenire non valeo. Et qualiter prima inſtrumenta repoſita agnoviſſet, dum inquirerem, reſpondit, ex amore, quo amicus amico revelare ſolet, hæc cognovi. *Sprengerus Mall. Mallefic. P. 1. Q. 1. c. 12.*

Ceremonia faſcina probandi.

Image cerea acu transfixa ſimiles dolores Mulieri infert.

Materia faſcinationis.

Eâ in ignem projectâ Mulier faſcinata convaluit, ſed non integrè.

Casus XXXIX.

Fæminæ, cui Veneficus Acus num. 30. & Sudes ligneas quercinas atque fraxineas num. 17. Incantatione illatos ex brachio successivè iterum extraxit: cum restitutione sanitatis.

SYmphoriani dicitur Castrum Lugdunensis Ecclesiæ, paucis ab urbe milliaribus distans, ubi Vir fidelis, & Religiosorum fidelis sedulusque susceptor, magnæ conversationis pariter & opinionis Abbatem, ad hospitium suum aliquando, quasi vim faciendo, pertraxit. Huic *juvencula* erat *Filia*, miserabili incommoditate laborans. Egerat enim quædam mulier malefica, per nequitiam invidæ socrûs inducta, ut languore tabesceret desperato, nec Viri sui præsentiam ullo modo, nec aspectus ullatenus, tolerare poterat. Affectione muliebri Genitricis persuasa, ut Satanas Satanam ejiceret, famosum quendam Maleficum accersivit. Adfuit, exploravit, agnovit, & mulierculam afferens inferratam. *Terit arborum cortices, pocula verbis & herbis infecta propinat, mordet etiam dentibus propriis brachium miseræ mulieris.* Res mira, res nova, res (nî fallor) hactenus inaudita. Ab illo quidem languore convaluit: sed interdum *ex corde procedere sentiens velut Acus, cruciabatur atrociter*, donec per morsuram *brachii*, quam nulla cicatrix obduxerat, *Acus educeret vis* occulta. Crudele remedium, sed hujusmodi congruebat authori. Plures in hunc modum, quàm *triginta* per temporum intervalla prodierant; quædam, ut vulgò dicitur, excapsetæ, quædam admittendis filis idonea foramina præferentes. Prætere a prædictus Abbas ad domum, ubi hæc actitabantur, advenit. Celebris est persona, cujus hoc opus, & alia non indigna admiratione narrantur: sed parcendum adhuc superstiti, & nomen credidi reticendum. Huic pater anxius miserabilem exhibet Filiam, nec sine lacrymis lugubrem expli-

Filia.

Ceremoniæ fascinationis.

Acus ex brachio prodientes nr. 30.

explicat tragœdiam. Eâdem horâ fit fides dictis, & sentiens acum mulier gemebunda deplorat. Jam pervenerat ad foramen, solitus jam præcesserat cruor, jam cœperat apparere, jam particula ejus exierat, & accedens unus ex fratribus Laicis, eidem Abbati deserviens, cruentam extraxit, annis pluribus ad testimonium conservandam. Orat Abbas, & locum vulneris tangens, in virtute fidei pollicetur, nec ferrum ultrà, nec chalybem inde processurum. Factum est: sed mutata materia est, malitiâ necdum prorsus extinctâ. Cœperunt *ligneæ Sudes parvulæ*, quales vulgò brocas appellant, ex *quercino robore*, vel *fraxineæ*, pro ferreis acubus egredi, crassiores spinis, & modicè longiores. Nec unius tamen omnes, sicut nec Acus fuerant, longitudinis vel crassitudinis erant. Sedecim in hunc modum intra annum & paucos menses ex muliere Ligna prodierunt. Adfuit demum Reverendus Petrus Antistes, cui divinitùs servabatur tanti miraculi plenitudo. Offertur Mulier Missarum solemnia celebranti, sicut præceperat & vespere præcedenti. Eâdem horâ *septimum, decimum Lignum* ex muliebri corpore egreditur, quod sub oculis omnium Sacellanus extraxit. Confitentem itaque Mulierem Præsul absolvit, & sacram ei tradens Eucharistiam ab omni deinceps cujuscunque materiei progressu jubet esse securam. Sic ab omnibus jam præstigiis liberata adhæsit Viro, filiosque procreavit. Et, ut dicitur, hodieque *superstes*, virtutem prædicat, quam in se ipsa feliciter meruit experiri. Petrus de Fraxineto dicitur Pater, notus, etiam honoratus inter convicaneos suos, ut, si quem dubium novitas tanta reddiderit, probare forsitan liceat, quod credere detrectarit. *Mart. Delrio Disquisit. Magic. Libr. 3. Part. 1. Quæst. 4. Sect. 6. p.m. 429. seqq. ex Gaufrigo in Vita S. Petri Tarentasii.*

Sudes ligneæ quercinæ & fraxineæ ex brachio prodeuntes num. 16.

Convaluit.

Casus XL.

Infantis decem mensium, quæ ex Veneficio in singularem Morbum præcipitata, non nisi sacris remediis adhibitis, & Veneficii instrumentis crematis, sanitati restitui potuit.

Infans decem mensium.

Annis superioribus *Francisca, Filia mea decem Menses nata*, apud nutricem insigni macie est affecta, sæpe ac sæpius magna suspiria edebat, &, quando difasciabatur, semper plorabat, ægreque ferebat, se defasciari, præter puerorum morem, quin, quamvis sint malè affecti vel dolore aliquo detenti, cùm fasciæ solvuntur, quiescere, ac delectationem tum capere solent, nullâ inventâ causâ præternaturali affectûs, nutriceque mutatâ, cùm in deterius laberetur, subiit *suspicio* uxori meæ, cùm esset Puella admodum venusta, invidentiæ causâ, vel odio cujusdam vetulæ, *Veneficio* esse affectam.

Veneficii suspicio.

Quapropter culcitram inquirens, nonnulla *Signa Venificii* reperiit, *ciceres* nempe, *grana coriandrorum*, *frustum carbonis* & *ossis defuncti*, *rem quandam compactam* mihi incognitam, quam fieri ab his improbis fæminis ex quibusdam *cum sanguine menstruo* mixtis, retulit quædam peritus Exorcista; præterea quasdam *Plumas* ita quibusdam *filis artificiosè insertas*, ut pileo, ut moris est, applicari facilè possent; quibus omnibus *igne benedicto combustis*, & adhibitis per triduum *exorcismis*, & aliis *remediis sacris*, cœpit melius habere, & carnem assumere, ita ut curatam existimaremus. Nihilominùs transactis nonnullis diebus, cùm esset valdè inquieta, & multùm ploraret, eodem lectulo denuò explorato, inventa sunt nonnulla alia *instrumenta*, quibus *crematis*, sanitati restitui visa est.

Veneficii signa.

Remedia sacra contra Veneficia.

Veneficis instrumentis crematis rediit sanitas.

Attamen in plenilunio mensis cùm plorabunda noctem totam insomnem duxisset, manè *colore cinericio* fuit affecta, & ita mutata facie ab ea, quæ vesperi erat, ut esset

Facies cinericia.

res

res non minus lachrymis, quàm admiratione digna: explorato denuò lectulo, inventa sunt *frustula* duo *nucis siccæ*, & *ossis albi*, *novem* vel *decem ossa piscium*, quæ erant fabricata instar pectinum, quibus capita pectuntur, cum quibusdam *corollis* mirâ arte ex variis rebus paratis; quibus *igni traditis*, mutatâ domo, & omnibus aliis, & validioribus per Exorcistam peritum adhibitis auxiliis, Dei beneficio, absque ullo remedio naturali convaluit; quod quidem Veneficium fortasse Deus permisit, ut in mea Puella experirer, quod in aliis parum credebam veritatis habere. *Baptist. Codronchus de Morb. venefic. ac Veneficiis Libr. 1. cap. 8.* *Alia Veneficii instrumenta.* *Convaluit, & quomodo?*

Casus XLI.

Mulieris gravidæ, quæ tacto à Venefica ventre, subitò aphona facta, viriumque summam jacturam, & ventris gravissimos cruciatus passa est, atque tandem per alvum excretis Spinis, Ossibus, Ligni frustis, & aliis, nihilominus convaluit.

Mulier in Argentorati Ditione uterum gerens, obnixè rogata à quadam obstetrice, ut ad suscipiendum infantem, partus tempore, ipsam accerseret, sciens, eam Maleficam esse, blandis verbis ac pollicitationibus dimisit, & aliam, instante partu, advocari jussit; quo factum est, ut hæc infelix *Mulier*, volens, ut adagio circumfertur, vitare Charybdim, in Scyllam inciderit. Malefica enim id molestè admodùm ferens, nocte quâdam cum duabus aliis mulieribus domum ingressa est, & ad cubile puerperæ accessit, cujus aspectu puerpera timore affecta conatur clamare, & virum, qui in altero cubiculo dormiebat, vocare, sed illam protinus *vox defecit*, & *vires* adeo *concidunt*, ut ne pedem quidem movere posset. Venefica verò maledictis prius ipsam lacessendo, & objurgando, quòd ipsam vocare renuisset, dixit, *se quasdam res in alvum ejus in-* *Mulier gravida.* *Aphonia subita.* *Virium jactura.* *Veneficæ minæ.*

injicere velle, quæ quidem innoxiæ per ſex menſes illi ſint futuræ, ut aliqua ex parte morem gereret aliis mulieribus pro ea efflagitantibus, iis tamen peractis, ingentes cruciatus illaturæ. Acceſſit ergo, & *ventrem manu tetigit*, & mox eâ egreſsâ, cùm vocem, viresque puerpera recuperaſſet, viro rem, prout geſta erat, narravit, cui tamen fidem non adhibuit, vaporibus uterinis ac imaginationibus puerperarum id adſcribens; nihilominus tamen ſex menſibus peractis, graviſſimi *cruciatus circa ventrem inferiorem* ita eam torquere & lancinare cœperunt, ut *diu ac noctu clamare cogeretur*, donec tandem quâdam die, cùm alvum exonerare vellet, *ſpinas*, *oſſa*, *ligni fruſtula*, ac multa alia *per inferna rejeciſſet*, magnâ tum viri, tum aliorum ſpectantium admiratione, quo à torminibus libera facta fuit. *Baptiſt. Codronchus de Morb. venefic. ac Veneficiis Lib. 2. c. 3.*

Veneficium à tactu ventris.

Ventris dolores graviſſimi.

Clamores diuturni.

Spinæ, oſſa, Ligni fruſta, & alia per alvum excreta.

CASUS XLII.

Mulieris annorum XVI. quæ, poſt Tormina ventris, Clavos, Acus æneas, Ceram, Capillos, & ingens Carnis fruſtum, vomitu rejecit.

ACcidit his temporibus novum & admirandum morbi genus, quod etſi viderim, curaverimque, ſcribere tamen vix auſim. *Mulier ſextum* & *decimum agens annum*, ab *ima ventris parte dolore* exorto, convellere manibus nitebatur; cùmque in horrendum *clamorem* erumperet, *intumeſcebat* ilicò *totus venter*, adeo, ut uterum geſtare credens octimenſem, & voce exhauſta, ubi toto cubili hinc inde rejectans ſeſe, & *plantas pedum* interdum *cervici connectens* reſiliebat in pedes, *iterum procidens*, ac *reſiliens*: iſtuc ipſum identidem factitabat, quoad paulatim ad ſe reverſa, quodammodo recrearetur, ubi interrogata, quid egiſſet, penitus ignorabat. Nos verò ejusmodi morbi cauſas disqui-

Mulier annorum XVI.

Symptomata.

disquirentes, arbitrati sumus, hoc malum ex vulvæ ascensu, & vaporibus malis sursum elevatis, ac subinde cor & cerebrum impetentibus, provenire. Quare idoneis medicamentis adhibitis, cùm nihil omninò profecissent, non parum mirati sumus; à recta tamen via minimè desistendum putavimus, donec ferocior facta, ac torvis oculis circumspiciens, tandem prorupit in *vomitum*, quo *longiores* & *recurvos clavos*, *æneasque acus*, unà cum *cera* & *capillis* in *globum mixtis* evomuit, & novissimè *jentaculi frustum tantæ magnitudinis*, ut dovorare integrum nullus potuisset; cúmque id ipsum sæpius etiam vidente me fastitasset, teneri eam arbitratus sum Spiritu malo, qui, dum hæc ageret, spectantium oculos perstringeret; quare spiritualibus Medicis commendata manifestioribus dein signis rem comprobavit. Nam & nos eam sæpius vaticinantem audivimus, & ea præterea agentem vidimus, quæ omnem vim morbi supergressa, humanum etiam captum excederent. *Anton. Benivien. de Abdit. Morbor. Caus. c. 8.*

Clavi longi, acus ænea, cera, capilli conglomerati, & ingens carnis frustum, vomitu reject.

Casus XLIII.

Famulæ, quæ, post Ventriculi & Intestinorum torsiones miserabiles, Pilos, Acus, Sanguinem grumosum, & Ovorum cortices, ex Fascino, vomitu rejecit: cum Quæstione curiosâ.

A. C. 1647. Noribergæ *Famula* quædam Præfecti cujusdam Equitum evomuerat post insignes & miserabiles *ventriculi* ac *intestinorum torsiones*, per septimanas aliquot continuas in die sæpissimè *Pilos conglobatos*, *Acus*, *Aciculas incurvatas*, *Sanguinis grumos*, *Ovorum cortices*, & alia, cui nullo medicamine subvenire quisquam potuit, usque dum ipsummet malum sponte cessâret. Omnia hæc ex *Fascino* provenisse, rumor postea vulgabatur: *Joh. Hellwig. Observ. Physic. Medic. 74.*

Famula.

Ventriculi & Intestinorum torsiones. Pili, Acus, Sanguis grumosus, Ovorum cortices, vomitu excreta.

Varios

Vomitus ex Fascino monstrosarum rerum. Varios ejusmodi ex *Fascinatione Vomitus* passim descriptos legimus; quos inter indicasse sufficiat, quos memorant Thom. Bartholinus *Cent.* 1. *Histor. Anatom.* 52. & *Cent.* 2. *Hist.* 38. Joh. Bapt. Helmontius *Tract. de Inject. material.* §. 2. Henr. ab Heer *Observ. Medic.* 8. Martin. Rulandus *Cent.* 4. *Curat. Empir. c.* 15. Franc. Hildesheim *Spicileg.* 2. *de Cerebr. & Capit. Morb. intern. p.* 186. Petr. Forestus *L.* 18. *obs.* 26. *in Schol.* Anton. Benivenius *de Abdit. Morb. Caus. c.* 8. Corn. Gemma *L.* 2. &c. *Quæstio curiosa.* *Quâ* autem *viâ res ejusmodi*, quales describuntur, *insolitæ & stupendæ in Ventriculum deveniant*, uti variæ conjecturæ circumferuntur, partim etiam in meras præstigias Satanicas referuntur; ita quicquid hac in materia disceptari potest, erudito suo *de Fascinatione Tract. Lib.* 3. *Part.* 6. *cap.* 16. optimè expediit Exc. D. D. Joh. Christian. Frommannus, ad quem itaque L. B. remitto, ubi etiam in *Part.* 8. *Sect.* 2. de Curatione talismodi fascinatorum inveniet, quæ probare poterit, *Luc. Schröckius in Scholiis ad eandem Observ.*

CASUS XLIV.

Pueri decennis, qui, post gravissima Symptomata, Lateres & Silices unciarum duodecim cum dimidia, Veneficio illatos, per urinam rejecit, & tamen medicamentis naturalibus adhibitis, maximè verò Laconico, iterum convaluit.

Puer annorum X. PUer quidam *decennis Tabellarii* publici hîc loci *Filius*, aliàs benè valens, incidit in morbum cum variis symptomatibus, *Symptomata.* *Inflatione* nimirum *totius ventris, dolore Lumborum, Artuumq;* insigni, *Tetano* universum corpus à capite ad calcem usq; corripiente, *sensibus* principibus interdum læsis, interdum mente benè constante: aderant *Leipothymiæ* graves, & *Cordis palpitatio, Vocis interceptio*, ut & non nunquam *insultus Epilepticus*, Febris nulla, nisi calor præternatura-

naturalis levis, ob motum humorum in paroxyſmo potiùs ſe exerens, qui nunc per biduum aut triduum, nunc poſt ſeptimanam denuo invadebat: ſic, ut malum haud ſtato tempore recrudeſceret. Remittente paroxyſmo ad 3. vel 4. horas durante, fuerunt deprehenſi in *urina Lateres* vel *Silices minores*, æger ſimul monuit, inhærere recto inteſtino *Lapidum* vel *Silicum majora fruſta*, ſicut ex transmiſſis apparebat, quæ recrementis alvi perpaucis infecta fuére, ſæpiùs nullis, ſed pituitâ quâdam mucosâ, imò tactu frigida. *Lateres & Silices cum urina excreti.*

Mirum autem erat, quòd morbus hic ex *Incantatione* oriundus, nihilominus leniri quodammodo videretur, ſi Mater Filio ſuper dolore intenſiſſimo conquerente circa veſicam parum *ſuccini albi* cum *aq. hyperic.* vel *ſaxifrag.* exhibuit, quòd lapilli iſti faciliùs per urinam exierint. Duravit hic affectus per trimeſtre. *Incantatio.* *Remedium.*

Originem traxiſſe hunc affectum à *Veneficio*, citra dubium eſt, cùm lapillos tales nunquam in corpore humano generatos fuiſſe, veroſimile ſit, ſed potiùs à Diabolo in corpus ægri immiſſi, & Anus quædam ſuſpecta à Pueri Matre aſperioribus verbis laceſſita, ſponte tandem ad curationem ſe obtruſerit, ſvadendo *Laconicum* per vices repetendum cum herbulis quibusdam, quas ſponte ſubminiſtravit ipſa, Puerumque facili negotio curavit. *Pondo* omnium iſtorum *Lapidum* per anum & urinam excretorum fuit *duodecim unciarum* cum *dimidia*, quorum nonnulli precibus amicorum jam ſunt diſtracti, reliquis apud me adhuc ſuperſtitibus. Ex Literis *Johann. Heunii*, *Medic. Profeſſor. Gryphiswaldens.* apud *Thom. Bartholin. Epiſtolar. Medicinal. Cent. 3. Epiſtol. 59.* *Veneficium.* *Laconicum.* *Lapides pondere unciarum XII. cum dimidia.*

Casus XLV.

Jurisconsulti, qui, ex Veneficio, Incubo transnaturali, seu Compressione pectoris summâ, cum periculosa Virium languore, aliquandiu laboravit, & ab eadem Saga, quæ Morbum intulit, singulari ratione iterum restitutus est.

IN celebri Imperiali Civitate accidit, mihique ab oculato teste juxta omnes circumstantias relatum est. Vivebat in publico quodam Hospitio nonnullus *JurisConsultus*, & de suo vivebat, Vir coloris floridi & vividi, nobili prosapiâ oriundus, facundus, &c, ob morum elegantiam, omnibus acceptus, vitamque agebat perpetuò cœlibem. Hic *singulis fermè noctibus infestabatur, subigebatur, & ad necem penè degravabatur*, sanè *corporis viribus exhauriebatur*, & *in periculosum languorem redigebatur.*

Jurisconsultus.

Incubus transnaturalis.

Virium languor periculosus.

Consulebat contra præsentaneum malum Medicos, præscriptaque eorum medicamenta solertissimè adhibebat, sed inani operâ, & absque omni fructu. Continuat *nocturna compressio*, piumque pectus magis atque magis fatigat & debilitat. Supervenit tandem Agyrta quispiam, & id consilium suggerit, ut, *cessante oppressione*, Æger *tacitus statim de lecto surgeret, urinam in vitrum redderet, vitrum chartâ pergamenâ circumquaque probè ligaret, & in scrinium observatum includeret*, expectaretque, quid postero esset futurum die. Paret JC. & nocte sequente, postquam à consueto hospite iterum satis superque delassatus esset, ad præscriptum modum se componit, nihil omittens eorum, quæ facere jussus fuerat.

Compressio nocturna summa.

Remedium singulare.

Urina collectio.

Et ecce! proximo die circa nonam matutinam comparet *Fæmina* anosa, petulca, rugis undique obsita, & in præsentia Agyrtæ, ipsiusque hospitis, ab infestato precibus lachrymisque contendit, aperiret scrinium, &c, *quod ibi opertum teneret vitrum, effunderet*, fore alioquin, ut ex diuturniori

Fæmina Urinam repetit.

Fæmina urinæ retentionem incurrit.

turniori *retentione urinæ sibi sit pereundum.* Ille negare petitum, Fæminam increpare, & auxilium in integram horam differre; victus tandem nimbo lachrymarum annuit, scrinium aperuit, *vitrum effudit:* cœpit illa è vestigio *coram omnibus meiere*, idque per totam plateam ad proprias usque ædes pertexere. Sic ἐπαυτοφόρῳ deprehensa est, quòd una è Sagis esset, & bono isti Viro *tot tantasque molestias huc usque intulisset.* Nam ab eo tempore & ipse revaluit, nullasq; ulteriores vexationes hujusmodi oppressionum passus est. *Freudius Quæst.* 79. *è D. Königii in Heptad. Cas. Consc. Miscell. c.* 2.

Ex vitri effusione convalescit æger.

Saga morbum intulit.

Convaluit.

CASUS XLVI.

Adolescentis Genuensis, qui Crines muliebres, Villos ovium, Linum, Bombycem, Acus crinales & sutorias, Unguium segmina, Ossium fragmenta, & Ferramenta multa, Vomitu rejecit, Visumq; tandem amisit, & tamen iterum convaluit.

PIus *Adolescens*, Genuensis, *amore languens*, post missa ultrò citroque munera & furtivas literas, idque trimestri spatio, mirùm quàm immundas sordes evomuit, *crines muliebres, ovium villos, linum, bombycem, acus crinales & sutorias, unguium segmina, ossium fragmenta, & ferramentorum* non parvum numerum, unà cum *sanguine*. Cùm ægro occultâ quâdam voce innotuisset, arculam amasiæ ab adstantibus quæri, arculæ clavem horrendis clamoribus postulat, & *acceptam*, eâdem voce admonente, *injecit in os, voraturus*, nisi prohibitus fuisset. Eam deinde pulvino supponit, & *oculorum usum amittit.* Admonet mater, ut doctus malo reddat clavem. Eam cùm quærens non inveniret, furto ablatam credidit. Tunc incipit magis vociferari; nec tamen reperta in toto lectulo diligenter excusso. Vi tandem cùm arcula esset reserata, binæ literæ amatoriæ inventæ, & igni traditæ sunt. Quo facto, *restitutus*

Adolescens.

Vomitu insolita res rejectæ.

Clavem vorare vult.

Cæcitas ex veneficio.

Visus redit. *Fascinum.* tutus ei *videndi* sensus, & *clavis* non sine admiratione apparuit *ante oculos quærentis exposita.* Meliùs interim habere cœpit, & corpore, & animo, & paulò pòst *sanus omnino factus* est. *Francisc. Bencius in Literis anno* 1589. *Romæ excusis*, citante *Hieronym. Jordano de Divino in Morb. c.* 23. *Convaluit.*

Casus XLVII.

Viri, in quem Venefiica Abscessum cum ingenti Filorum glomo, ex propria confessione intulit.

ETiamnum recordor, maleficam Fæminam Fascinationis crimine suspectam, eaque propter à Patre meo tum temporis Civitatis Charmis Quæstore aliquando examinatam, inter alia scelesta facinora fassam esse, se in vicinum nomine Albimontanum per Incantationem *Abscessum cum intus contento ingenti Filamentorum conglomeramine in coxa subnatum* intulisse; quo Abscessu rupto atque satis largè dehiscente, indigitatus glomus ilicò in conspectum venit, quem Chirurgus præsentibus pluribus hominibus vix ac ne vix quidem forcipe eximere potuit. Atque hunc glomum ipse ego hisce meis oculis adhuc puer vidi à Chirurgo, Parentis jussu, in ædes nostras deportatum, videruntque omnes nostri domestici, & accuratè debitâque diligentiâ contemplati sunt. Hæc ergo atque similia ubi oculis conspiciuntur manibusque palpantur, absonum mihi videtur, in dubium amplius vocare, aut, fieri hæc ita posse, impossibile proclamare velle; quasi verò omnia ea, quæ antea nunquam audita sunt, aut difficilia videntur, propterea etiam statim & impossibilia sint, & postea fieri omninò nequeant: nonne satius sit, quasvis res ita ponderare ac habere, uti revera sunt, quàm ingenii sui acumen, eas negando, ostentationis gratiâ, saltem velle exercere. Quando

Abscessus, cui inerat ingens filorum glomus Veneficio illatus.

Mirabilia non statim impossibilia.

do nempe perſpicuam veritatem in dubium vocare aliquis audet? Hunc quoque Caſum ex *Nicol. Remig. Dæmonolatr. Libr.* 3. *c.*1. edit. German. *p.m.* 357. huc transtulimus, & nunc demum latinitate donavimus.

CASUS XLVIII.

Agricolæ, ex cujus Ventriculo, poſt perpeſſos crudeliſſimos hypochondrii Dolores, Clavus ferreus prodiit, & in quo poſt mortem aperto Lignum teres, Cultri 4. & Ferramenta 2. cum Capillis conglomeratis, reperta ſunt.

ANno Chriſti 1539. in quodam *Eiſtettenſis Epiſcopatûs* Ditionis *pago*, *Fugenſtal*, accidit, ut agricola quidam, *Ulricus Neuſeſſer* in altero *hypochondriorum latere crudelibus Dolorum tormentis* conficeretur, ſubitòque *Clavum ferreum* ſub illæſa cute manu apprehenderet, quem Chirurgus illic balneator novaculâ exciderat, nec tamen dolores ceſſarunt, ſed indies magis incrudeſcebant. Quare cùm nec aliud doloris fore remedium miſer, quàm mortem, ſuſpicaretur, arrepto cultello ſibi vitam abſcidit. Itaque dum tertio die mortuus ad ſepulchrum efferretur, aderant tum Eucharius, Balneator ex Weiſſenburgo Noricorum oppido, ac Johannes ab Ettenſtet, Balneator, qui adſtante magnâ hominum frequentiâ demortui agricolæ *Ventriculum* inciderunt; in quo *Lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe Cultros*, partim acutos, partim inſtar ſerræ dentatos, ac *duo Ferramenta* aſpera reperta fuerunt, quorum ſingula ſpithami longitudinem excedebant; aderat & *Capillorum inſtar globi involucrum.* Sed quid potiſſimùm hîc admiraberis? an quomodo tot & tanta ferramenta in Ventriculi cavitate contineri potuerit? an quâ arte ſint ingeſta? certè non aliâ, quàm *Dæmonis aſtu & dolo*; à quo Chriſtus, qui in eum confidunt, tueri poteſt: qui Salomonem divi-

Dolores hypochondrii crudeles.

Clavus ferreus ex latere egreſſus.

In Ventriculo Lignum, cultri 4. & ferramenta 2. reperta.

Capillorum conglomeratio in Ventriculo inventorum.

nis carminibus hos curare morbos, & fugare Dæmones, docuit: id quod & Eleazarus Judaicæ factionis sacerdos, vidente Vespasiano, & ejus Filiis ac tribunis, palam fecisse in exercitu traditur. Ex *Joh. Langii Epistolar. Medicinal. Libr. 1. Epist. 38.*

CASUS XLIX.

Viri nobilis, qui Bufonem, & Lacertam per alvum ex Veneficio excrevit, itemque ex Abscessu Carbones, Pilos, Testas, Acus, Clavos, Ossicula & Fila protrusit.

NObilis Georg. à Deben, dum Ventrem exonerare conatur, in ano diutiùs quid hærere sentit, & non exiguam inde molestiam percipit. Eâ igitur ut sublevetur, manum tandem admovet, & pro stercore duro, quod subesse putat, magnum extrahit *Bufonem*, etiamnum vivum. Ex *Maleficio* hoc contigisse, & ipse, & alii, existimarunt. Sustinuerat enim antè varios, insolitos, & acerbissimos cruciatus, modò in hac, modò in illa corporis parte. Tandem & *in sinistro Crure Abscessus* obortus. In eo *carbones, pili, testæ, acus, clavi, ossicula*, & *fila* reperta fuerant. Abscessu verò, ut & hoc addam, curato, dolores nihilominùs quandoque recruduerunt. Pro eorum itaque mitigatione, illud in aquas stagnantes, vel paludes ad lacuum ripas sæpius immittere solitus est, ut hirudines ei affixæ pravum sanguinem exugerent. Cui tamen ne una quidem adhærere voluit, licèt quandoque id superficietenus scarificari curarit, quo sanguinem gustantes avidiùs ipsum appeterent, sicque meliùs adhærescerent. Sed, ut dictum, frustra omnia. Contrà verò quotiescunque Crus sanum in aquas immisit, ilicò & catervatim id apprehenderunt, malè affectum semper fugientes.

Maleficium.

Abcessus, in quo Carbones, Pili, Testæ, Acus, Clavi, Ossicula, & Fila reperta sunt.

Atque hæc ex Illustriss. Principis Anhaltini, Dom. Hipparchi P. VV. utpote oculati testis relatione habeo. Qui & mi-

& mihi narravit, se alium quoque novisse Nobilem, Carolum Rauchheupt, ex cujus podice *Lacerta* viva erepsisset; eamque illum postea enectam, & in furno siccatam semper secum gestasse, atque filium appellare solitum fuisse. *Philipp. Salmuth. Observ. Med. Cent. 3. obs. 1.* *Lacerta per alvum excreta.*

CASUS L.

Fæminæ, quæ intensissimo sinistri brachii Dolore correpta est, ex quo postea, rupto Abscessu, Acus, Pili, & Carbones prodierunt.

FAmula Cæsaris à Breitenbach intensissimo sinistri brachii dolore corripitur, qui cùm minimè remitteret, sed magis magisque adaugeretur, nullusque Tumor, neque quidvis aliud præternaturale extrinsecus appareret, adstantes Veneficium quoddam verentur. *Dolor brachii intensissim.*

Ευπόριςον igitur, quod in tali Casu valdè probatum dicitur, *Corallos* nimirum *rubros* cum *foliis quercus* optimè contusos, & cum *Aqua rosacea* in *Cataplasmatis* formam redactos imponunt, ibique 24. horas relinquunt. Quo temporis spatio locus ad suppurationem deducitur, & per totidem horas, Euporisto illo rursus applicato, *Abscessus* rumpitur, inque eo Acus, Pili, & Carbones reperiuntur. Hæc omnia cum *Amuleto* simul, in foramen in radice quercus Orientem spectans, manè, ante Solis ortum, terebrâ factum immittunt, & illud cuneo ex eadem arbore facto obturant. Dolor inde planè cessat, & locus aliis medicamentis ad cicatricem perducitur. Quidam v. talia irridens, & præstigia putans, refodit illa. Hinc extemplò cruciatibus & quidem sævioribus adhuc affligitur rursus misera illa Fæmina. Repetuntur ergo superiora, & copiosior prodit materia, quàm cum *Amuleto* exceptâ, & eundem in locum repositâ, Dolor omnis ilicò evanescit, ipsaque postmodùm sana degit. *Philipp. Salmuth. Observ. Medic. Cent. 3. obs. 34.* *Euporistum. Ex Abscessu acus, pili, carbones prodierunt. Convaluit.*

Casus LI.

Uxoris Villici, quæ Convulsiones stupendas ab Incantatione putatâ illatos perpessa est, & tamen Remediis naturalibus iterum convaluit.

Uxor Villici. Convulsiones stupendæ.

M*Argareta Armsterin*, *Uxor Villici Holzhusani*, ex improviso horrendis *Convulsionibus* correpta, *os trahebat ad aurem sinistram, oculos invertebat, manus & brachia in gyrum agebat, pedes in globum torquebat*, & omnia ossa ejus cum dolore maximo crepabant. Hoc autem ter & quater in die accidebat. Curatus à nonnullis affectus hystericus, nullis morem gessit medicamentis. Alii frustra instituerunt vermium curam. Vocatus exhibebam ægrotæ, ob nauseam & ructus nidorosos, *Tartarum emeticum*, quo copiosè rejecta fuit materia macilaginosa, flavescenti ranarum spermati non absimilis. Mirabantur præterea adstantes, quando ad os vel manus Patientis, admotâ *Ptarmicâ aridâ floribus albis*, contra Veneficia tanti æstimatâ à ruricolis, vel *Suffumigio* ex *Asa fœtida*, *Verrucis equorum*, & similibus, usurpato, crudeliùs, postea verò mitiùs torquebatur. Tentatis tandem omnibus, alexipharmacis etiam optimis, jubebantur à nonnemine plantis pedum decumbentis imponi recentia *Alni folia*, & penitùs evadebat ex morbo, non aliâ forsan de causa, quàm quòd expuncto maximam partem charactere morboso impresso medicamentis adhibitis, ista folia, virtute diaphoreticâ, balsamicâ, nervinâ, revellere, demulcere, & roborare poterant. Ex *Ephemer. Acad. Nat. Cur. Germ. Dec. II. Ann. V. Obs.* 18.

Tartar. emetic.

Remedia. Alni folia. Convaluit.

Casus

CASUS LII.

Viri, qui assumpto Lacte dulci, indeque excitato Vomitu, duos vivos candidos Catulos unà rejecit, & postea convaluit.

ANno 1580. Hanoviæ accidit, ut *Sartor*, Civis ibidem, nomine *Albertus Hencke*, aliquandiu malè habens, hincque in extremam *Cachexiam* delapsus, ab Uxore suâ posceret, ut *Lac dulce* comedendum sibi curaret; quod cùm ingurgitasset, ilicò aliquot *Vomitionibus* vehementer exagitabatur, iisque unà, quod mireris, duos *vivos* quidem, sed adhuc cœcos, repentes tamen, & colore *candidos* *Catulos* rejecit. Hi *Catuli* in patina figulina in Templo S. Georgii publicè exhibiti, nemini non, in admirabilis rei novitatem, conspiciendi præbebantur. Verùm, quod notandum, *Catuli* haud diu superstites vixerunt, sed mox exspirarunt; *Vir* autem ille tractu temporis subinde meliùs habere cœpit. Jamque quæri posset, an Catuli hi revera, & quomodo, ex hominis corpore prodierint? an verò eo ipso demum tempore, quo *Vomitus* ingruit, à *Dæmone*, aut per *Fascinum* suppositi, cæterisque excrementis immixti fuerint? id quod naturæ ruspatoribus dijudicandum ac ventilandum relinquitur. Ex *Mart. Zeiler. Promptuar. Epistol. Cent. 3. Epist. 92. nunc primùm Latinè redditâ.*

Vir. Cachexia. Lac dulce. Vomit. Catuli vivi Vomitu rejecti. Convaluit. Quæstiones.

CASUS LIII.

Filii annorum XIV. qui per alvum, urinam, & vomitum, Fila, Linteamina, frusta Straminis, Chartæ, & Orichalci, rejecit.

HOnestissimorum Parentum *Filius*, literis operam dans, bonæ spei & indolis, ad temperamentum melancholicum inclinans, postquam anno *ætatis XII.* per urinam sabuli multum non sine dolore frequenter rejicit, judicatus

Filius annorum XIV.

eſt nephriticus à quibusdam. Alii, quòd nullum τεκμήριον manifeſtum adeſſet mali affectorum renum & veſicæ, impuritati ſanguinis à ſplenis & meſenterii vitio oriundæ cauſam mali adſcripſerunt, quòd ibi non raró ſit arenularum talis excretio per urinam, alvum, & ſudorem etiam. Anno verò *ætatis XIV.* ſingulare per urinam excreviſſe dicitur ſabulum in magna quantitate, cum aliis excrementis (qualia ſcopis verruntur ex ædibus) & fruſtis aliquot lapidis ſciſſilis, ut hinc ſuſpicio orta fuerit Faſcini. Nunc enim *per alvum*, nunc *per urinam*, imò & *per vomitum* ejecta conquerebatur Patiens *fila*, *linteamina*, *fruſta ſtraminis*, *chartæ*, & alia naturaliter in corpore generari vix apta nata, *fruſtum* quoque *oricbalci nitidi* planè, nec ab humoribus infecti; & hæc omnia citra omnem penè dolorem. Ex *Marcell. Donat. Hiſtor. Medic. mirab. editionis Horſtian. in Additionibus p. m. 738. 739.*

Per alvum, urinam, & vomitum fila, linteamina, fruſta ſtraminis, charta, & orichalci nitidi, rejiciuntur.

Casus LIV.

Filiæ annorum XXI. quæ Guttâ ſerenâ à Venefica, afflicta, ope cujusdam radicis, iterum reſtituta eſt.

Filia annorum XXI.

Nicolai Korrenii, Ruſtici in Pago Einſiedel/ *XXI. annorum Filia*, aliquandiu immani corripitur *cephalalgiâ*, ſubſequente eam *viſûs* quadam *hebetudine*, ipsâq; demum ἀμαυρώσει. Recrudeſcunt ſæpe dolores capitis, aliis quoque in dorſo unà affligentibus. Medicamenta generoſa licèt irrito propinantur ſucceſſu. Parens itaque, inſcio Medico, Divinatricem quandam conſulit, quæ *Faſcinum* ſubeſſe dictitans, *Veneficam* eidem in ſpeculo monſtrat, pollicita, ſe brevi effecturam, ut, faſcino ſoluto, viſus *Filiæ* rediret. Et ſanè rediit, parte quâdam *radicis*, quam præbuerat Vetula, Filiæ *appensâ*, parte verò ejusdem *intrò aſſumptâ*. Ex *Diſputa-*

Gutta ſerena. *Faſcinum.* *Curatio.* *Convaluit.*

ſputation. Inaugural. Ehrenfrid. Hagendornii, de Macie Puer. habitâ *Jenæ* 1667. *Præs. Joh. Theodor. Schenck. c.* 8.

CASUS LV.

Mulieris nobilis gravidæ, quæ à Venefica ad ventrem contacta, ilicò fœtus motum inſolitum ſenſit, eumq́ mox in fruſta comminutum excrevit.

MUlier quædam *nobilis* cùm uterum gereret, ab amica monita eſt, ne ex Caſtro exiret, quia Veneficam celebrem noverat, quæ *ſolo tactu veneficia inferebat*, & *abortus parabat*; illa oblita conſilii, viſitandi gratiâ alias mulieres ad convivium congregatas, prodiit è Caſtro. Dum autem ſederet, & confabularetur, acceſſit ad illam ſimulatè, ſalutandi gratiâ, quædam alia mulier, quæ miro quodam artificio *Nobili* illi blandiendo, *manus ventri* admovit, ex quo contactu alterata, *fœtus motum inſuetum ſtatim ſenſit*; domum igitur reverſa, *in fruſta comminutum ſummo cum diſcrimine vitæ ejecit. Baptiſt. Codronchus de Morb. venef. Lib.* 2. *c.* 3.

Mulier nobilis gravida.
Veneficium per tactum.
A tactu Venefico fœtus in utero inſolitè movetur, & in fruſta comminutus excernitur.

CASUS LVI.

Viri nobilis, cui per Incantationem Os femoris & tibiæ ſurreptum eſt.

VIr fide dignus, Dn. Vitus Martallerus, Conſul, retulit, ſe noviſſe *Virum Nobilem, Haller ab Hallerſtein*, Conſulis in Hermenſtad Tranſylvaniæ Filium, cui per *Incantationem* in pueritia *femoris os*, & *os tibiæ*, *ſurreptum* fuerit à Venefica, quæ per torturam id ipſum profeſſa eſt, promiſitque reſtitutionem, ſi eidem concederetur, ut alteri cuidam illa oſſa per artem Diabolicam extraherentur, propterea quòd oſſa propria deperdita jam dudum in profun-

Vir nobilis.
Incantatione os femoris & tibiæ ſurreptum.

dum maris projecta sint. Vixit autem prædictus Haller ad ætatem consistentem, & equitare, sedereque potuit, *femore cum pede huc illuc deposito. Gregor. Horst. in Addition. ad Marcell. Donat. Histor. Medic. mirabil. p. m. 724.*

Casus LVII.

Pueri, cui Saga, exhibito Pulvere albo, Ariduram, Contracturam partium inferiorum, & Ambulandi impotentiam, intulit.

Filiolus. Pulvis albus maleficus.

SAga quædam, die Gründel-Füllerin dicta, ante biennium ad capitis & ignis supplicium damnata, in hospitio publico habitans, Filiolum hospitis sui, traditâ *Pulveris albi*, quem à Satana acceperat, portione, pyroque, extracto petiolo, indita, certissimæ internecioni tradidit; Amore quòd *Puerum*, quem Amasium suum vocârat, fuisset prosecuta, facinus istud patrare, primùm recusâret; sed tandem sub gravi inversionis colli comminatione ad id Dæmon eam coegerat. Eadem Lamia ejusdem *Pulveris* portionem minimâ magnitudine seminis papaveris Salvi Conductûs Filiolo, eodem modo in pyro exhibuit, cujus usu eum non quidem mors,

Aridura & Contractura partium inferiorum.

partium tamen inferiorum *Aridura* & *Contractura*, *Ambulandique impotentia*, excepit. *Joh. Christian. Frommannus Tractat. de Fascination. Lib. 3. Part. 4. Sect. 1. c. 9. p. m. 611.*



Casus LVIII.

Pueri, qui Capillos & Setas porcorum pelli adhuc inhærentes, ex putato Veneficio, per alvum dejecit.

Quæstoris Filius, Morsæ, adversâ nonnihil afflictus valetudine, eam credidit inductam à Muliercula, cui herbarum plenum corbem in porcorum pasturam attulisset; quòd hæc gratias agens, ipsius pressisset humerum. Unde territus eo tempore Puer, cœpit paulatim, etiam animo dejecto, pejus habere. Hinc trica fæminei *capillitii nigri*, & *cinerii* sicca, citra alterius materiæ admixtionem, excerni visa est. Tandem admiranda magis, puta *setas porcorum, pelli etiamnum inhærentes*, ita siccas alvo deponebat, ut papyro conservarentur; interdum similia cum excrementis dejiciebat. His ludibriis circitèr medium fatigabatur annum; quæ dein pededentim, ut cœperunt, evanuére. Ex *Joan. Wier. de Præstig. Dæmon. Lib.* 4. *c.* 7.

Quæstoris Filius.

Capilli per alvum excreti.

it. seta porcorum.

Casus LIX.

Equitis, & Puellæ. In illius Abscessu Felis junior, & in hujus Dorso Bufo, repertus est.

Eques laboravit *Abscessu* grandi & magno in *Abdomine*, qui tandem ruptus præter pus dedit *juniorem Felem*; cujus portenti causa vix reddi poterit; nec credibilis esset mirus hic Casus, nisi à *Summo Principe* in Acidulis Schwalbacensibus fuisset narratus. Ex *Laurent. Straus. Resolut. Fœtus Mussiponton. p.* 95. Idem *Author loc. all.* recenset, *Bufonem* intra *Duacensis Puellæ dorsum* fuisse repertum.

Eques.

Felis junior in Abscessu repertus.

Bufo in dorso inventus. Puella.

Casus LX.

Hominum, qui ante divæ Annæ altare ſæpè fruſta Vitri, Urceolorum, Spinas piſcium, & Loculos cum Nummis, evomere ſolent.

Altare divæ Annæ.

Fruſta vitri, urceolorum, spinæ piſcium, loculi cum nummis, vomitu reject.

NOn minùs certè illud horrendum dictu viſuque eſt, quod in *Thevern, Juliacenſis Ducatus Oppido*, crebrò accidit: ubi *ægroti* in Templo ante divæ *Annæ altare* & venerandum caput ejus, ſupplices proſtrati, *fruſta* & *fragmenta vitrorum*, *urceolorum*, & *oſſium de piſcibus*, quæ humana gula & ſtomachus deglutire non poſſet, ac *loculos* quosdam *cum nummis*, evomuerunt. Ex *Joh. Lang. Epiſtol. Medic. Lib. 1. Epiſt. 38.*



MAN-

MANTISSA.

Quæstio solennis:

An superiùs enarrata varia Excreta v. g. Acus, Filamenta, Linteamina, Cultri &c. revera in corpore fuerint, vel extrahantur; an verò Præstigiæ Dæmonis sint, extrà saltim talia in corporis superficie ostentantis?



Agnus Germanorum Galenus, Sennertus, hanc rem ex professo, & satis accuratè, tractat sequentibus. Joh. Wierus (ait) *Lib. IV. cap. 2. de Præstigiis Dæmon.* & *cap. 17. de Lamiis*, in ea est sententia, talia saltim præstigias & illusiones Dæmonis esse, & ea, quæ rejici, vel extrahi, è corpore videntur, nunquam fuisse in corpore, sed Dæmonis subtilitate & velocitate imperceptibili ori injecta, vel extrà admota, hominum oculis vel celeritate ejus victis, vel fascino delusis, vel interjectu corporis aërei, aut aliter caligantibus.

Excreta absurda non fuisse revera in corpore hominis.

Atque ad id probandum hisce præcipuè argumentis utitur: *primo*, quòd nullus meatus sit, per quem talia, Cultri scil. & similia in corpus immitti possint. *Res etiam*, quæ rejiciuntur, sæpe amplitudinem œsophagi, etiam quoad fieri potest, in homine vivo tensi distractique naturalem diductionem excedunt: *Tertiò* quòd fieri non possit, quin os ventriculi & œsophagus à talibus, si per eum transirent, læderentur, cùm tamen plerumque nihil læsionis vel doloris post talia vomitu rejecta percipiatur; quia impossibile

Argumentum primum, secundum,

possibile fuisset, si res tales acutæ in ventre fuissent, quin in eo dolorem excitassent; cùm tamen nullus dolor antea perceptus fuerit: *quartò* quia tactu, etsi ventriculus valde comprimatur, nihil tale deprehendi possit: *quintò* quòd nihil cibi vel chyli talibus quæ rejiciuntur, permistum appareat, etsi homo paulò antè cibum sumpserit.

quartum, quintum.

Res monstrosæ à Dæmone delatæ.

Alii verò existimant, res illas revera à malo Dæmone delatas esse. Atque ad id probandum, hoc imprimis afferunt, quòd res tales sæpe multos annos asserventur, & propterea non saltem imaginariæ fuerint: deinde quòd revera tales res ex ulceribus & corporibus hominum, chirurgorum operâ, extrahantur, ut ex Langio *Lib.* 1. *Epist.* 38. patet, & ipsis manibus attrectari possint.

Modus, quo inferantur res monstrosæ in hominem.

Verùm de *modo, quo corpori inferantur* hujusmodi res à Dæmone, dissentiunt. Nonnulli putant, hominem in somnum profundum demergi, & tum Diabolum corpus vel membrum illud incidere, & ea, quæ velit, inferre, ac eâ subtilitate & arte vulnus id consolidare, ut nulla cicatrix appareat. Licèt enim homines præstare id non possint, tamen Diabolum esse artificiosissimum, & ea nosse medicamenta, quibus id præstare queat. Alii putant, à Diabolo poros cutis distendi, & per eos inseri stramen, setas porcinas, corium, & similia. Alii opinantur, Dæmonem nullo negotio res ejusmodi in minutissimas partes, & pulverem etiam frangere & conterere, & sensim in hominum corpus ingerere, & ingestas rursus compingere posse.

Modus, quo excernantur res absurdæ.

De *Rejectione* etiam dissentiunt. Alii enim existimant, etsi sua sponte œsophagus non ita dilatari possit, ut corpora tam magna per eum rejici possint, tamen ut à Diabolo extra consuetum modum extendatur, impossibile non esse. Imò addunt, naturam interdum per angustas vias res in corpus deglutitas vel immissas expellere, ut nemo naturaliter id fieri potuisse credidisset. Quarum rerum exempla collegit idem Sennertus *Lib.* 3. *Pract. Part.* 1. *Sect.* 1. *cap.* 3.

In

In re hac obſcurâ & difficili equidem aliquid certi ſtatuere, difficillimum eſt, cùm Diabolus ſit μυριοτέχνης, & multa Dei permiſſu præſtare poſſit, quæ hominibus ſunt impoſſibilia. Non negarim tamen, interdum eſſe *meras Diaboli Præſtigias*, quod vel ex eo patet, quòd res tales evaneſcant interdum, ſicut ex hiſtoria illa Puellæ à Cornel. Gemma annotatâ, manifeſtum eſt, quæ vivam anguillam vomitu rejecit, quæ tamen exenterata, inque loco alto ſuſpenſa, ut à nullo animali attingi potuerit, poſtea evanuit. *Præſtigia Diaboli.*

Contrà cùm res quædam vomitu rejectæ, & abſceſſibus extractæ, manibus contrectatæ, & diu aſſervatæ fuerint, non dubitandum eſt, *revera tales fuiſſe.* An verò ex ipſo ventre vel corpore provenerint? an verò in ore, vel ante os, aut vomitum, aliunde delatæ & ſubſtitutæ fuerint? cuilibet liberum relinquo, quicquid velit, ſentire. Cùm tamen vix probabilis modus dari poſſit, quo talia corpori inſeri potuerint, nec etiam facilè dari via queat, per quam res tantæ magnitudinis, & quidem ſine damno, rejici potuerint, valde probabile eſt, *meras eſſe Diaboli præſtigias.* Etenim ſi præſtigiatores illi manuum agilitate hominum oculos fallere poſſunt, cur non & Diabolus idem poſſit, & id exhibere intuentibus, quod nunquam in corpore fuit? *Monſtroſa rejecta revera fuiſſe in homine. Præſtigia Diaboli.*

Equidem refert Henricus ab Heer, *Obſerv. Medic. Lib. Obſ.* 8. Puellam quandam nonum agentem annum ex Veneficio vomitu ejeciſſe multas plumas, faſciculos ſtraminis, pollice craſſiores, transverſis aciculis confixos, ligulas ex filo textas, variis coloribus diſtinctas, quaternionem denique acicularum cæruleæ chartæ infixarum, ſicut vulgò proſtant, integerrimum, & jam jam empto ſimillimum: atque cùm ipſe hæc omnia, præſtigias Cacodæmonis adſtantibus illudentis, aliunde petita eſſe, & è primis Puellæ labiis in manus ſuas mitti, aſſereret, Puellam hanc nodum hunc ipſam ſibi exſolviſſe ſcribit, dum diceret: ne *Dubium.*

dubitate, quin mihi ex imo hæc educantur corpore: ſtatimque manum ipſius apprehenſam faucibus ſuis admovit.

Reſponſio ad hoc Dubium. Sed quis non videt, & in illa ipſa acu, quam Puella è faucibus adſcendere, breviq́ue exituram, dicebat, & in ligulis illis, quæ circa orificium ventriculi hærere putabantur, Diabolum omnes adſtantes deludere potuiſſe? Cùm enim non ſolùm brutorum, ſed & hominis ipſius imaginem ſuis præſtigiis referre poſſit, cur non & hæc poſſit?

Mera Præſtigia Diaboli. Et talia *meras Diaboli Præſtigias eſſe*, vel ſatis docet illud, quòd D. Gregor. Horſtius *Lib.* 1. *Epiſt. Medicinal. Sect.* 8. ſcribat, quendam Illuſtriſſimi ſui Principis Conſiliarium ſibi retuliſſe, fratri ſuo, cùm ex Incantatione graviſſimâ Ophthalmiâ laboraret, quotidie magnam ſcoparum minutim inciſarum copiam per oculos egreſſam fuiſſe, ita ut ſcopæ purgandis ædibus deſtinatæ, vixque emptæ, ſtatim amitterentur.

Ratio aſſerti. Quis enim credat, tantam ſcoparum minutim conciſarum copiam corpori potuiſſe à Diabolo ita inſeri, ut eæ per oculos egrederentur, quin hoc potiùs ſibi perſuadeat, extrà per Præſtigias præ oculis fuiſſe oſtenſas?

Autheritas aſſerti. Adſtipulatur Timæus à Guldenklee *Caſ. Medic. L.* 7. *Caſ.* 24. *p.* 332. qui non credendum eſſe, ait, res illas miras, ferramenta, clavos, ſetas &c. revera in corpore fuiſſe, morboq́ue cauſam dediſſe, ſed Diaboli ſubtilitate & velocitate imperceptibili inter vomendum ori injectas, vel extrà tantùm admotas eſſe, adſtantium oculis vel celeritate ejus victis, vel faſcino deluſis, vel interjectu corporis aërei, aut aliter caligantibus. Etenim ſi præſtigiatores manuum agilitate hominum oculos fallere poſſunt, cur non & Dæmon, mille artifex, idem poſſit, eaque adſtantibus oſtentare, quæ nunquam in corpore fuerunt?

Cauſa Injectorum & Egeſtorum. Caſpar Schottus, S. J. Sacerdos, Vir doctiſſimus in *Magia Univerſi* cauſam Injectorum & Egeſtorum è corpore humano *pag.* 531. ſatis quoque diligenter rimatur.

Primò

Primò quidem affert *Martin Delrii opinionem*, qui primò quidem fatetur, *quædam in corporibus humanis solere interdum ex pravis humoribus coalescere*, ut sunt, tophi, lapilli, capilli, officula, conchilia, spinæ, glomi pilorum, & talia, quæ potuit Dæmon in ipsis ulceribus, vel in corporis partibus aliis, procreare. Et quòd hoc naturaliter fieri possit, consentire veteres & recensiores Medicos, Galenum, Celsum, Aëtium, Levinum Lemnium, & alios, quos citat. Addit, ante annos aliquot Laxemburgi Comitis Filium in urina lacertulas satis magnas ejecisse, idque potuisse naturaliter contingere ex corruptione humorum, & renum vitio. *Argumentum ex Delrio.*

Secundò putat, *non posse naturaliter in corpore humano generari ex ulla putrefactione acus, cultros, forfices, & bujusmodi metallica artificiosè conformata*, quia calor naturalis, nisi plurimorum annorum spatio, non videtur metalla inibi gignere posse, multòque minùs sic fortuitò ad certam analogiam atque dispositionem artificiosam videntur tam varii humores convenire posse. *Argumentum secundum Delrii.*

Tertiò dicit, *hæc omnia multis modis Dæmones per maleficos operari posse*, scilicet vel *primò illudendo sensibus*, ut quis putet, ista in corpus ingeri, & egeri, cùm tamen revera ejusmodi res nunquam in ægri corpore fuerint; vel secundò *citra frictionem res bujusmodi in os ingerendo, aut aliis corporis partibus inserendo & includendo*, quoniam Medici & Chirurgi fide dignissimi testantur, talia sibi visa ex corporibus eximi vel exsecari, & ea manibus se contrectasse. *Argumentum tertium Delrii.*

Ex *modis* autem *immittendi*, quos legit, duos sibi placere. Primus est, ut *profundo Dæmon somno demergat hominem, & sensum doloris eximat*, tum dextrè incidat membrum, & materiam illam duram imponat; denique eâdem subtilitate vulnus adeò consolidet, ut nulla cicatrix, vel vestigium relinquatur, quod periti Chirurgi nonnunquam faciunt. Secundus est, ut idem *Dæmon res solidas divi-* *Modus immittendi primus.* *Secundus.*

dat, & comminuat in partes minutissimas, & eas iterum uniat, idque tam properè & subtiliter, ut cernentium oculi nequeant, ob nimiam motus celeritatem, id advertere, ideoque putent, integrè immitti, & committi.

Helmontii opinio circa modum immittendi. Helmontius exagitat opinionem Delrii quoad secundum modum paulò antea insinuatum, quòd nimirum Diabolus dividat, & comminuat res solidas, us eas immittat intra corpus hominis, iterumque emittat. Ipse verò conatur ostendere, *non superare naturam, quòd corpus aliquod solidum absque sui comminutione traducatur per viam se longe minorem*; ac proinde non opus esse auxilio Satanæ, ut id fiat, sed omnes ejusmodi Injectiones immediatè fieri per homines, scil. per maleficos. Cacodæmon namqúe (subdit) etsi Blas motivum habeat, contra pietatem tamen est, quòd insontibus nocere possit pro lubitu, quod sanè fieret, si passim ejusmodi res injiceret, pro nefario lubitu, puerulis, inquam, insontibus, virginibus piis, atque Deo singulariter dicatis. *Non superare porrò vires naturæ, res solidas per viam angustam traducere*, ac proinde illas à Diabolo non communi modo insinuato apud Delrium, stabilire nititur in hunc modum: Cornelius Gemma de *Cosmocrit:* meminit, frustum librarum 3. sive unciarum 48. se vidisse de bombarda ænea, quod virgo, vectoris filia per anum excreverat, cum suis characteribus sive literis, simul cum anguilla suis secundinis obvoluta. Est autem naturæ impossibile, pulveratum in nobis metallum liquescere, pristinâ figurâ, tantoq; mensium intervallo, in intestinis detineri, anguillam cum suis involucris toties conteri, & à morte resurgere, frustumqúe ligni & corii toties comminui, iterumqúe restitui in pristinum. Bruxellæ enim vidisse affirmat anno 1599. quòd bis, sumptis tribus herbis, evomuerit draconem, caudâ anguillari, corpore coraceo, capite serpentino, perdice minorem; & nesciri modum, quo id natura faceret.

ratio prima.

ratio secunda.

Æquè

Æquè *nescitur modus, quo id Satanas faceret.* Lucrantur ergo nihil, qui opus naturæ in Diabolum referunt. An vero peccent, viderint alii? Pigritiæ enim saltim immensæ inventum fuit, omnia in Diabolum retulisse, quæ non capimus. Inveniri equidem naturæ contiguam dimensionum penetrationem, licèt non ordinariam. Nec tamen Diabolus invocandus, ut nostris satisfaciat quæstionibus, per temerariam potestatum attributionem. *Diabolus hac non facit.*

Est historia rustici Poloni, nuper à filio D. Ericii Puteani visa. *Agrestis homo* tentaverat, sibi anginam in gutture aperire brevi cultro, quem incautus deglutivit, eundemque tandem dextro abdominis latere, cum multo pure, postque multas anxietates, reddidit, & incolumis supervixit. *Historia Injectorum naturaliter factorum.*

Item *Vilvordiæ* anno 1636. *rusticus* notus, volens saginare vaccam, illi quotidie poculum dedit, cui incoxerat olera cum furfuribus. Tandem emaciatur indies magis, cœpitque dextro crure claudicare. Cæsâ vaccâ, inventus est brevis culter uxoris suæ, in capulum buxeum intortus, inter costas & homoplatã abditus: rustica enim concidendo rapas, cultrum inter olera reliquerat, eumque vacca bibendo deglutiverat. *Historia alia.*

Item Ambrosius Paræus refert de quodam, quem latrones coëgerant, *deglutire cultrum*, quem dein *sospes reddidit per apostema lateris.* *Historia tertia.* Alexander Benedictus alterius meminit, cui *sagitta in dorsum penetraverat*, cujus unum dein latitudinis trium digitorum per anum excrevit absq; læsione. *Historia quarta.* Idem narrat de *Puella Veneta*, quæ *acum deglutiverat*, eamq; post biennium *eminxit calculo incrustatam.* *Historia quinta.* Idem Antonius Benivenius, quòd *mulier Hetrusca acum cupream deglutiverat, quam triennio inde juxta umbilicum sana excreverat.* *Historia sexta.* Valescus de Taranta, de *Puella Veneta*, (forte eâdem) quæ acum trium digitorum cum urina rejecit. *Historia septima.* *Capucinus* quidam *Ebure*, dictus *Bullonius*, cognomine *Hamptean*, *araneam ingentem*, quam decidisse viderat in calicem sub jugi sacrificio vivam, cum multa animi aversione *bibit*: intra paucos dies illi *Historia octava.*

oborta est *phlegmone in dextro femore*, ac sub primo pure in- *Historia nona.* de *araneam integram, mortuam tamen, reddidit. Mercator juvenis*, Antverpiensis, Venetiis ludens *immaturâ spicâ hordei* in ore, ingenti suffocationis metu eandem *deglutivit*: post tres inde hebdomadas *sinistro latere supra zonam apostema* apparuit, ac tandem cum pure eadem arista, jam lutei coloris, *extracta est integra*; ipse autem sospes evasit. Apud *Historia decima.* Fernelium Studiosus legitur ab ipso restitutus, qui *aristam per costas dedit.* Commemorant quoq; Scriptores, *fœtum* quandoq; in utero mortuum & consumtum *sua ossa dimisisse trans uterum & abdomen per umbilicum*, & quandoque *per anum.* Plura apud Autores passim ejusmodi occurrunt fide digna.

Penetratio corporum. Quibus constat, corpora solida *satis magna penetrasse* stomachum, intestina, uterum, omentum, abdomen, pleuram, vesicam, membranas, inquam, tanti vulneris impatientes, id est, absque vulnere, cultros per istas membranas transmissos; quod æquivalet penetrationi dimensionum factæ in natura *Injecta sine ope Diaboli.* absque ope Diaboli &c. Atque hæc pertinent ad *Injecta intrantia vi ordinariâ naturæ* extra suspicionem Diabolicæ cooperationis.

Ablata & foràs è corpore protrusa. Historia prima. Simile quid contigit etiam haud raro in *ablatis internè foràs*, quod unico aut altero exemplo confirmabo. *Sartoris uxor* Mechliniæ præ foribus vidit militem in conflictu manum amittere: statim *percussa horrore, peperit filiam unâ manu*, altero autem cruentoque brachio extinctam, quòd manus ejus non reperiretur, & hæmorrhagia *Historia secunda.* infantem interimeret. *Uxor Marci de Vogeler, Mercatoris Antverpiensis anno* 1602. videns militem mendicantem, cui pila ferrea in obsidione Ostendana dextrum brachium abstulerat, illudqúe adhuc cruentum circumferebat, mox abinde filiam peperit orbam brachio, & quidem dextro, cujus cruentus adhuc humerus per Chirurgum solidari debuit; nupsit Mercatori Amstelodami, cui nomen Hœchcamer, quæ adhuc 1638. superstes erat; cæterùm nusquam

reperi-

reperibile fuit brachium dextrum; nec ossa, nec ulla apparuit putrilago, in quam brachium contabuisset parvâ horula. Attamen nondum conspecto milite fœtus bina habebat brachia. Nec potuit brachium avulsum annihilari. Ergo clauso utero ablatum est brachium. Quis autem avulserit naturaliter, & quorsum ablatum sit, certè non quadrant triviales rationes in tanto portento aut parodoxo. Non sum, qui hæc dicam. Hæc dicam saltem, non fuisse brachium ablatum, & neque avulsum à Satana: deinde minoris operæ esse, deferri aliò brachium avulsum, quàm fuit, brachium à toto avulsisse absque nece. Uxor Mercatoris cognita, ut audivit, quòd uno mane decapitarentur tredecim (tempore Ducis Albani contigit Autverpiæ) ducanturque inordinatis appetitibus prægnantes, statuit, spectare detruncationes. Ascendit ergo cubiculum familiaris sibi viduæ in foro morantis, visoque spectaculo, statim illam adorsus est dolor parturientis, *peperitque maturum infantem, cruento collo*, cujus caput nusquam apparuit.

Dubium.

Historia tertia.

Hisce præmissis, ut suam declaret sententiam Helmontius, repetit, quod antea insinuaverat, nimirum, quòd, etsi corporum penetratio primariâ lege naturæ & vulgari artificum modo sit vetita; attamen *cùm corpus totaliter in dicionem spiritûs transit, ac transumtum est, eoque velut informatum, tum corpora se mutuò penetrant naturaliter*, quâ saltem parte sunt porosa, eò quod spiritus tunc corpus sub se claudat, adeòque dimensiones velut adimat. Sic *ante peccatum mulier naturaliter peperisset citra dolorem fœtus proceros*, illius saltem magnitudinis, quâ modò nascimur, non quòd mulier ante peccatum fuisset insensibilis, sed quòd utero clauso exiisset. Ergo geniale à creatione fuit humanæ naturæ, dimensiones se invicem penetrare, quia erat conditus homo, ut secundùm spiritum in carne viveret. Sed, corruptâ naturâ, periit ista auctoritas spiritûs supra corpus, atque ideò brutorum more deinceps parit mulier. Nihilominus

Penetratio corporum quomodo fiat?

Simile.

minùs in rerum ſeminibus adhuc conſiſtit primæva illa penetrandi corporum energia, non autem vi, arte, aut arbitrio humano ſubjecta. Hocqúe agunt omnia vi ſpiritûs cujusdam archæi. Archæus enim tam in præfatis ſeminibus, quàm in nobis tametſi corporeus ipſemet ſit, dum tamen agit actione regiminis, & materiam in ſe abſorbet, edit plures effectus Incantamentis non abſimiles. Quantum autem penetrationes corporum ſpectat, Archæus noſter corpora in ſe abſorbet, ut fiant quaſi ſpiritus.

Helmontii opinio explicata.

Verùm enim verò nullus unquam Democritus, nullus Leucippus, Anaxagoras, nulla talia portenta in Scholas invexit. Stabilito, ut putat Helmontius, hoc dogmate de corporum penetratione, ſtatuit, Diabolo nullum in nos invitos jus aut imperium eſſe, niſi peculiariter permittente Domino. Ergo neceſſe eſt, id contingere ex facultate aliqua libera, cum excellentia Chriſtiani, præcipuè juſti, ſicqúe Diabolo nullum jus competere intrandi, aut introducendi ſua media, cùm perinde ipſi ſit, per medium nocuiſſe, aut per ſe. Eſt ergò alia longè poteſtas Incantamenti, præter Diabolum, atque proinde naturalis & libera &c. Ecquænam illa? Ergo Saga per ens naturale imaginativè format ideam liberam & nocivam, eò quòd formatio idearum requirit imaginem Dei, ac poteſtatem liberam; atque idcirco Sagæ operantur virtute naturali, non minùs in juſtos atque infantes, quàm in viros nequam &c. Diabolus ergo affert ſuis clientibus ſordes vel venena, ut ideas in imaginativa horum formatas tormentaliter connectat. Imò iſtud ideale virus præſervat, ut per ventum diffletur, aut terrâ coopertum teredine deſtruatur. Defert autem iſtud virus localiter juxta objectum incantandum; applicare tamen, aut in hominem ferre, nullatenus valet. Itaque deinde homo etiam dimittit medium aliquod executivum, emanativum, & mandativum, ad incantandum hominem; quod medium eſt idea fortis deſiderii.

Sed quousque ſuſpendit Novator hic animas noſtras? De-

claret

claret tandem modum, quo Injecta corpora intrant in corpus humanum, & quomodo ejiciantur? Facit id Tractatu sequenti, cui titulus: ***Injaculatorum modus intrandi***: ubi postquam dixisset, Diabolum facere res injiciendas invisibiles, sive id fiat per oculorum fascinationem, sive alio modo, tandem subjungit: Res igitur injiciendas factas invisibiles transfert Diabolus ad objectum, dirigente iter ideâ desiderii humani. Etenim quia Diabolo non est permissum ullatenus, introire in hominem, multò minùs ut eum lædat, atque omnium minimè cum onere invisibili, quod ipsus circumvolveret; ideo utitur Blas libero hominis arbitrio sibi devincti. Homo ergo suum Blas motivum liberum imprimit in corpus invisibile factum; Diabolus autem defert usq; ad hominem, in quem injicitur: & sicut culter per desiderium atque consensum vulnerantis infigitur in carnem vulnerandi; ita hoc corpus factum invisibile per Diabolum injicitur in corpus incantandi, per ideam Blas motivi Sagæ, conspirante ad hoc Satanâ, propter directionem ferientis hominis. *Helmontius modum Injectorum persequitur.*

A se ipso hoc dicit Helmontius, non alius hoc eum docuit. Et quis iste? Volui tam fusè referre hujus Authoris sententiam, & plerumque ipsismet Authoris verbis, ut ex his vel in unico Tractatu ab eo assertis judicet Lector, quàm phantasticus sit, & quàm ad fingendum sine ullo fundamento pronus. Nihil refuto, quia refutatione non indigent, quæ suomet vitio spontè corruunt. Ego existimo *primò*, multa ex prædictis in ipso humano corpore fuisse nata, vel ex præexistentibus causis naturalibus, vel Dæmonis ope, activa passivis applicando, idque vel sponte suâ, vel ad positionem signorum à maleficis factam, nunquam tamen sine Dei peculiari permissione, sine quâ nihil circa hominem, præsertim justum, operatur Diabolus aut Maleficus. Existimo *secundò*, multa ex iisdem fuisse injecta & ejecta per vias & meatus ordinarios, qui licèt arcti sint, dilatari tamen possunt ac solent *Responsio ad Helmontii opiniones. Prima. Secunda.*

lent mediis ac medicamentis ab hominibus, nedum à Diabolo, adhibitis. Itaque injecta atque intrusa fortassis fuerunt à Diabolo dilatante dictos meatus, dum dormirent homines; ejecta verò vel virtute expulsivâ naturali, vel ope Diaboli, ipsis corporibus sibi viam aperientibus, & meatus dilatantibus. *Tertia.* Existimo *tertiò*, nihil unquam fuisse injectum à Diabolo aut Maleficis, cum penetratione corporis humani, quia id superat vires humanas & Angelicas. Itaque in exemplis etiam ab Helmontio allatis nulla apparet corporum penetratio, sed omnia injecta aperuerunt sibi viam, vel ope solius naturæ, vel Angeli boni, aut mali. Dico Angeli boni, quia ejectio non in damnum, sed in sanitatem Ægroti, dirigitur. Hactenus Schottus. Vid. Gregor. Horstii *Additiones ad Marcell. Donati Historias Medic. Mirabil. p. 740. seqq.*



JOANN.



Joann. Baptistæ van Helmont Fragmenta,

de

Receptis Injectis. De Injectis Materialibus. De Injaculatorum Modo Intrandi,

ex Ejus Ortûs Medicinæ Tractat. de Morbis eruta.

Recepta Injecta.



Ecepta Injecta sic voco, quæ sunt portenta velut spiritualia, cooperatione Satanæ perpetrata. De his silent Veteres; quippe qui & manifestiorum tractatus plerosque neglexére, eò quòd nullum ex fundamento noverunt. Malunt siquidem scelus inhumanitatis & credulitatis admittere, quàm Injectorum scientiam indagare, agnoscere, vel ejus inscitiam fateri; eliguntúrque citiùs, aspicere proximum, extremis sub ejulatibus deficientem, quàm quòd tantillo remedio tam atroci malo opitulari, discere vellent. Theologi quidem & Jurisconsulti dispositiones suas tractarunt, sed Scholas Medicas omissionis accuso. Etenim id factum censeo, quòd Cacodæmon sit hujus mundi princeps, qui ideo in Cathedris, Curiis, & Aulis, suos ubique nactus est patronos, per quos velut ipsius præsidet, totusqué revera mundus in maligno positus est.

Cur Scholæ de Injectis nil?

Triplex Atheorum turba inter Christianos hîc repetitur.

Horum enim *quidam* in Atheismum proniores, Diabolos, præstigias, juxta atque Incantamenta, negant, asseruntque, se non induci posse, ut contrarium credant, nisi viderint. Unde tandem immortalitatem mentis, Deique timorem, tanquam inventa politica, ad coërcendam plebem, penes se rident. *Alii* dein, Sacrorum decreto, Diabolos quidem esse credunt, & inferni satellites, non tamen cacogenios humanæ sodalitati, quin potiùs sodales, atque affines & amicos; adeoqúe Præstigias sagarias, pro fabellis fallacibus, hypochondriacis nugis, atque anilibus somniis, habent. Suntque inter literatos *demum alii*, qui Diabolica opera, Sagarum quoque Incantamenta, Sacrorum authoritate admoniti, admittunt quidem; artes meras tamen æstimant, nec alio titulo damnandas, nisi quòd à Satana edoctæ, & ad malum duntaxat sint institutæ. Et hi audacissimi sunt in omne scelus, fidemque hodie hypochrisi velant. Ego itaque à diebus Platonis jam tres Sagarum patronos constanter floruisse inter Atheos, conspicio, ominorque tam diram labem non nisi eodem Præside perstitisse hactenus.

Carichteri statera.

Nemo Medentum interim, quod sciam, *unico Carichtero* excepto, hanc materiam tractavit, qui quidem modum fiendi, atque remedia sanandi aliqua proposuit; at non parum suspecta vanæ superstitionis. Theoriam quoque nec attigit, quia ignorasse visus; trementibus interim Medicis, ne conscii Magici criminis haberentur, dum opem, (quam nesciunt) sub tantis ærumnarum stricturis, proximo fortè fortunâ impendisse, æstimarentur. Subterfugium tamen

Persuasio Diaboli.

istud *astu Satanæ* sic vulgo persuasum, ut remedii indaginem, in propriæ famæ & conscientiæ sasisdationem, neglexisse viderentur, proximum verò languentem, tanquam infideles Scribæ, atque Pharisæi, transeuntes, in summis deserant desolationibus. Etenim nullus reputatur alioqui, morbum procurasse, vel ejusdem structuram novisse, pro quo describit remedium. Nemoqúe creditur, venenum propi-

propinasse, qui inquirit causas, atque remedia decernit; minimeque æstimatur, vulnus inflixisse, qui accersitus, manum auxiliarem, commiserando, ac gratis, attulerit: ut nec fur est, qui furum latibula & concilia detegit. Absit ergo subterfugium, pro infami haberi, novisse Incantamentorum media, progressum, fines, atque medelam, cùm aliunde hæc sciri & haberi debeant, quàm doctore Diabolo. Etenim cùm Diabolus intra aream naturæ coërceatur, non est desperandum, quin benignissimus Jesus remedia surrogarit, pro tam atrocibus malis, in sui gloriam, qui nusquam bonitati, gloriæ, & sapientiæ suæ defuit. Vir bonus itaque rectâ graditur viâ, nec ponè se respicit, quidve mundus de se judicet, non curat, cujus nimirum pleraque judicia stulta sunt, & mendacia. Sufficit namque viro bono, quòd impeditor vel destructor mali vacet crimine.

Quantum Diabolus in exercitiis Diabolicis agat.

Dicam ergo pro mea capacitate, *quantum Diabolo competat in actionibus Sagarum.* Quodque ut fundamentaliter contingat, repetam per Theses octo. (1.) Quòd, omnis forma vitalis sit lumen vitale sui corporis. (2.) Quòd quamvis inanimatorum formæ discrepent ab animabus in gradu, & indole illius luminis, saltem omnes conveniant in aliquo essentialiter luminoso. (3.) Quòd luminis ergo sese attingant immediatè, & penetrent, sicque connexæ formæ in invicem operentur, prout unum lumen aliud intersecat. Nam radii solares collecti per vitrum in conum licèt in punctum coïerint, inde tamen rursus procedentes, qui in vitro erant à dexteris usque ad conum, transeunt deinde refracti in vitro ad sinistram, servant tamen illibatam prioris luminis identitatem; ut neque proinde, ob penetrationem in cono factam, contagio laborent; quod alibi mechanicè per figuram demonstravi. (4.) Quòd idcirco diversa in genere aut specie lumina formalia se mutuò, instar luminis, immediatè penetrent, operenturque communicativè, & absque lassatione. (5.) Quòd omnes corpo-

Theses octo huc adductæ.

rum formæ ſint vera lumina, non tamen ſubſtantialia, licèt entitata, ob rationes alibi de Creaturis neutris allegatas; ſola autem mens humana ſit ſubſtantia formalis, immortalis, atque indelebilis; hactenus etiam operetur cum ſuperioritate, attingat, penetretque omnem aliam formam ſe inferiorem (ut de Venatione Scientiarum alibi, illo præſertim titulo, in fidem & naturam recepto, quòd ſit vera Dei imago, eique inhabitet regnum Dei, quique ideo cuncta ſubſtituit pedibus ejus (6) Quòd ideo Cacodæmon ex ſui creatione non habeat potentiam, attingendi aliquam formam, ut in ea, abſoluto ſui nutûs impetu, perficiat velle ſuum. Eſt namque ſpiritus abſtractus ab ente corporeo, & ligatus, ac deinceps à peccato ſcurra miſertimus. (7) Sola autem poteſtas locomotiva corporum illi remanſit, quorumqúe motus non cedit in damnum mortalium. Nec enim unicam feneſtram per ſe poteſt diruere abſque adjumento libertatis ſuorum clientum. (8.) Nec enim movet elementa per attactum, (quandoquidem extremitatibus caret, quibus corpora tangat, ne quidem illa, quæ aſſumit) quo aliquid apprehendat, aut moveat; ſed ſolo ſuo nutu movet, aſpectuq; intuitivo, qualis eſt aſtrorum in meteora, per Ideas, vel noſtri velle in ſua organa; quæ mutualis poteſtas ut naturaliter fuit Angelicæ naturæ indita; ita & Diabolo relicta, Blas nimirum natale habet, quo aëris procellas æſtuſqúe maris concitat, quoties Deus illi permittit. Imprimis namqúe adeo malus eſt Diabolus, noſterqúe hoſtis, ut nequeat vel tantillum benè velle. Quare *nec habet liberum volendi arbitrium in malis; in bonis verò nullum, niſi invitum & coactum.* Nam ens, unum, verum, bonum, convertuntur; ideoqúe à ſenſu contrario apparens, falſum, malum, ac multiplex, ſunt proprietates Satanæ: ac per conſequens, ex ſuo nutu, naturalique poteſtate, ne quidem poteſt liberè, & abſque permiſſione divina, operari quicquam, vel abſque cooperatione liberâ mentis humanæ, Cerbe-

Diabolus non habet liberum, ſed à pravitate ſua coactum arbitrium.

Cerberus namque ligatus eſt, nec operari poteſt in formas, harum corpora, vel proprietates, niſi cooperatricem ſibi adſciſcat mentem humanam, cujus pedibus ſubſtituta ſunt ſe inferiora. Hactenus itaque dolo ſua miſerè circumvenit mancipia, pactoque obſtringit, ſaltem ut ſic magis à Deo recedant, quaſi in pretium icti fœderis ſit edocturus arcana, per quæ, ſub certis ſtatiſque formulis, fictis verbis, invocationibus impiis, exſecrationibus, conjurationibus, votiſque, lineis demum, figuris, notis, ſigillis, characteribus, numeris, horis, momentis, vegetabilibus, imò & rebus ſpurciſſimis, horumque omnium litationibus, conſecrationibus, depuramentis, inquinamentis, vaniſque & irritis ejuſmodi ſuis nugamentis, ſint effecturi incredibilia; & quidem mala omnia, in Dei deſpectum, atque hominum perniciem, quibus, poſt fœtus, ſuos facilè infatuat, ſuique credulitate dementat, utpote quos ex pleno poſſidet, uſque dum mandata ſua cōmittit. Perſuadet enim, quicquid vult, his, qui gratiæ divinæ renunciarunt, pollicetúrque, nefaria præſtiturum per vires, quas ſibi mentitur geniales. Etenim ſuas ſcrofas in hirci adorationem infandam rapit, quaſi omnium moderamen penes ipſum ſtaret, ſoluſque operandi miracula donum conferret, quia ab initio ſemper mendax impoſtor.

Interim vituperoſiſſimus ſemper ille *mera tantùm operatur ludibria, & præſtigias duntaxat inanes*, Alioquin enim media à ſe præſcripta *operandi vim in ſe haberent*, quam apud ſuos jactitat, de *neceſſitate quoque naturali*, ſemperque, & ubique in cujusque manu, & æqualiter, idem efficerent, abſque reflexione in pactum, vanaſque circumſtantias. *Nec valet argumentum*: Satan ſuis præſcribit vana verba, ſuperſtitioſa, & in ſe omnino impotentia, ergò totus illorum effectus, qui incantatis accidit, ex ſolo eſt Satana. Siquidem licèt media in ſe ſint vana, nulliuſque momenti, potentiæ, vel efficaciæ (qualia ſunt verba non ſignifica-

Satanas ſuos deludit miſerrimè.

Diabolica media ſolius pacti vi operantur, non autem vim operativam in natura habent.

Solvitur objectum argumentum.

nifica-

nificativa, figuræ, characteres, numeri, Gamahen, Talismannica, adorationes, cum omni vanarum obſervantiarum ſuperſtitioſo exercitu) attamen concurrunt inſuper alia media operativa, quæ non ſunt Satanæ; quandoquidem Diabolus non habet vim idealem, ſeminalem, & ſigillarem, qualem habet homo ex dignitate imaginis divinæ, quâ ipſius pedibus ſubſtituta ſunt bruta, &c. Ergò Diabolus has mutuat *Ideas mentales, & operativas Sagarum*, quas poteſt ſigillare in ſordibus, & venenis. Ille ergò maledictus, totuſque miſerrimus, & à gratia Dei derelictus, per ſe eſt inefficax eorundem operum, niſi adjutus per animam ſui mancipii: (1.) quia non habet vim formativam Ideæ operativæ: (2.) nec attactum immediatum, acceſſum, multoque minùs introitum ad lumina formalia, (quibus ſcilicet nihilominùs omnes rerum proprietates typicâ Ideâ ſunt inſcriptæ) ut per hoc agat: (3.) imò nec habet ullam potentiam liberam, agendi, multoque minùs, ad damna eorum, qui ſibi non parent: (4.) ipſe enim ſuperbiſſimus totus nollet petere permiſſionem à Deo, ut homini, ſibi non obedienti, nocere poſſit, ſciens, Bonitatem infinitam hoc illi nequaqúam conceſſuram, licèt Cacodæmone utatur ſubinde, tanquam carnifice, ut in Hiſtoria Jobi. Etenim iſtud hoc loco notandum ſeriò, quòd in Inferno, & penes omnes damnatos, non ſit ullus honos, aut ſanctificatio nominis divini, ſed continua maledictio. *Non enim mortui laudabunt te, Domine! neque omnes, qui deſcendunt in Infernum. Attamen in nomine Jeſu flectuntur genua inferorum civium.* Videlicèt quoties Deus utitur Cacodæmone, ut carnifice, toties id illi ſuperno mandato injungitur: in nomine Jeſu tremendo; eôque nimirum audito, totus infernus ſua flectit nolens genua. Alioqui namque, quod dici ſolet, permiſſione Dei Diabolum nocere homini, id eſt intelligendum, vel per præfatum mandatum, tanquam tortori datum, vel mutuâ vi operativâ naturali, quam Deus contulit imagini ſuæ.

Apex operationis in effectibus sagariis.

Ipſe

Ipſe autem creaturarum miſerrimus *Diabolus*, ***ex ſe nil poteſt, niſi malè velle***, quia, quicquid à Deo receſſit, id eſt malum, & ideo ***non poteſt non malè velle***, quia, qui per velle à Deo abiit, in ipſa voluntate formaliter debet eſſe malus. Ergò Diabolus ad omnem alteritatum fabricam in natura per ſe totus impotens, quia incapax eſt; & per conſequens neceſſe habet ad operandum, mendicare naturalia, habentia in proprietate poteſtatem liberam, quam optat applicare; imò nec quidem eandem idcircò abſolutè, ac immediatè, adminiſtrare valet, niſi per devinctorum ſibi animas & manus, attingentes ſcilicet ex dono creationis lumen formarum immediatè ſibi ſubſtratarum; ideoque prima operatio per Sagas in armenta & greges ferocit. Utens nimirum Satan poteſtate illâ liberâ, & mutuatâ, exigit contactum alienum, ut formatas à cliente ſuo, & mendicatas mutuataſqúe Ideas connectat in medio, atque ſic, vi alienâ, diradiet in formas homini ſubſtratas. Adeoque impoſtor mendax opus ſuum mentitur, ac pro eo adorationem expetit, quod planè eſt humanum, & in quo ipſe Scurra nimium operatur.

Cur Diabolus impotens?

Diabolus duntaxat poteſt liberè malè velle.

Profectò *miſerrima alioqui mortalium conditio*, ſi mala cognita à Satana exſequi poſſet. *Non eſt enim inferorum regnum in terra*; per exemplum, (1.) Homo poteſt ſuis perturbationibus nocere ſuæ prudentiæ, valetudini, & vitæ. (2.) Ejuſmodi tempeſtates, quæ ſunt mentis, non permanent entia rationis, ſed cadentes ſeminaliter in materiam imprimunt ſuarum perturbationum Ideas conſtantes, quæ probantur à prægnante, murem horridâ, quæ ſi manum alicubi opponit, ſtatim murem hirtum, eâdem in fœtus parte, ſigillat. Imò ſi ejuſmodi perturbationes præmaturè fiant, non rarò totum embryonem in monſtrum transformant. (3.) Quicquid autem prægnanti eſt naturale, & ordinarium, id nemo dubitat, quin Sagæ non gravidæ naturale eſſe poſſit, nimirum poſſe formare Ideas quaslibet. Quas ergo impreſſio-

Probàtur actus hominis in operibus ſagariis.

pressiones, qualve Ideas semina sigillaria Cacodæmon suscitat in suis, & inde mutuat, easdem imprimit in sordes, quas suis substernit, ut illas infectent; adeoque Jus illas Veneficas sive factrices venenorum vocat; non quidem quòd venena propinent potanda tantùm, sed potiùs quòd ex non venenis venena conficiant. Illa autem applicantur tam per locomotivam Diabolo vernaculam, & liberam, quàm etiam quòd transferantur ad intentum objectum, solo desiderio motore, & directore, ut postea latiùs. Saga itaque illas sordes à se per ens Idiale contaminatas suspendit, sepelit, propinat, imò & manus suas ungit, lavatve istis sordibus, dirisque venenis imbuit, ut per contactum illa venena transferat in objectum, cui nocere voluerit. Enimverò Ideæ illæ seminales, monstrosæ, & venenosæ, cùm jam sint alterius, & peregrini Archei cives, introductæ in corpus incantati, adeoqúe extra locum & subjectum proprium, confestim per illas contaminatur atque corrumpitur Archeus incantati. Quapropter cùm hostis naturæ ipsam applicationem complere ex se nequeat (alioqui namque miseri mortales incantati omnes succumberent voto Diaboli) suscitat Ideam fortis desiderii, & odii, in Saga, ut mutuatis istis mentalibus, & liberis mediis, transferat suum velle per quod, quodqúe afficere intendit. Quorsum imprimis etiam Exsecrationes cum Idea desiderii, & terroris odiosissimi suis scrofis præscribit.

Hominis prærogativa in operando.

Est namque *homini liberum nocendi arbitrium*, per quod hominem homo occidere valet cultro, atque insontem quemlibet sic perdere, quod Diabolus non item potest. Ideoque ut cultri, ita & veneni, applicatio est Diabolo æquè vetita pro suo lubitu, atque ideo etiam prorsus impossibilis, id est, absque homine libero, sive mancipio sibi devoto. Etenim nec homo quidem occidit alium cultro, *nisi accesserit desiderium*, in consensu libero, & resolutæ voluntatis imperio. Unde sat patet, quòd imprimis Diabolus non habeat

Quod operetur in hoc desiderium.

beat creationem Ideæ seminalis actualiter & positivè subsistentis, qualis imagini divinæ concessa est; itemque quòd nec Diabolus nactus sit naturalem applicationem Ideæ ejusmodi, nisi aliunde sortitus sit facultatem liberam, non ligatam, & per desiderium accensam, sive proritatam, Quippe desiderium istud ut est passio imaginantis, ita quoque creat Ideam non quidem inanem, sed exsecutivam atque incantamenti motivam. Idcirco nimirum scurra ille hostilis exigit attactum ad corpus incantandum, vel saltem ad aliquid, quod primariò sit affectum, & corpus incantandi demum, ut in illud vi sympatheticâ ac naturali (qualis est, quâ Chalcanthum naturaliter absens vulnus sanat) Ideæ receptæ agant, atque deinceps in corpus, cujus sympatheticum commercium ejusmodi effluvia naturalia tenent, tanquam media, denique *sepulta sub limine*, vel *suspensa*, ***nocent*:** imò & in primò intrantem duntaxat suam explicant virulentam feritatem, absque Sagæ contactu ad corpus incantandi, citraque notionem, odium, aut desiderium nocuum contra intraturum primò. Sed est difficilioris resolutionis negotium, subtilioris nempe noxæ, & propagationis, quæ in natura visum Basilisci, vel Torpedinis directiones sibi pro approbatione adscivit. Nam perinde ut Basiliscus radio visivo suum virus spargit in objectum, non in locum, & non in aliud corpus quodcunque, licèt sibì vicinius, sed in illum duntaxat, in quem primò oculi acumen direxit ac vibravit & sicut Torpedo non in propinquiorem quempiam fortè jacit visus sui venenum, sed potiùs atque solummodò in trahentem eminùs funes; sic nempe Ideæ seminales connexæ sordibus suspensis vel sepultis vigorantur ab Idea desiderii accensi, tanquam à voluntate Basilisci, vel Torpedinis, exercentque illam in objectum determinatum duntaxat.

Sepulta, vel suspensa, quomodo noceant primo intranti ignoto.

Ac licèt similitudo non usquequaque respondeat in amborum terminorum identitate; sufficit saltem demonstrasse,

Vilibus animalculis inest vis directiva suæ voluntatis,

hominì nedum, sed *vilibus animalculis naturaliter, inesse vim attributivam*, & exsecutivam intentionis illorum, quibus solo visu, intentione, desiderio, vel odio nocere instituunt. Quippe dos ista se extendit etiam ad quæcunque magneticè vel sympatheticè sua commovent eminùs objecta. Quæ media adhuc excellentiori modo homini naturaliter tributa inexsistere, non est absonum, dum cuncta suis substituta pedibus legimus. Quapropter pariter *attactu*, vel *ictu simplici, sua Incantamenta Sagæ transferunt in objectum*; at longè crassiori modo, quàm præfato. Ideóque & medio sympathetico quid simile in se tegit, longéque adhuc strictiùs, dum ad cruorem, pus, vel aliud effluvium obligantur ejusmodi Incantamenta; sed imò etiam ipsum objectum necessariò tangunt, aut feriunt.

Quomodo per nudum attactum transferantur Incantamenta?

Nec verò sympathetica huc adduxi, ut eadem infamarem, quatenus modum applicationis ad medium per illa demonstraverim; quin potiùs ut ostendam, Sagas uti naturalibus modis & mediis, alioquin in Torpedine & Basilisco consuetis; ut omnem fraudis Diabolicæ spem à sympatheticis extinguam, ac per naturalia scilicet constet, quàm falsò atque mendaciter sibi Serpens infernalis adorationes & Liturgias præscribat pro iis, quorum penes se nulla est potestas.

Cur repercussio attingat conceptum carmen, vel maleficium.

Cæterùm *percutientem Sagam repercutere*, ut naturaliter reflectit incantamentum in sui Authorem; sic fortè posset ab indiscretim scrupulosis sperni pro medio superstitioso. At sanè ut naturali jure licitum est, vim vi repellere, præsertim si id non tam ex ira aut odio, quàm ex defensione sui, & noxæ aversione contingat, quod moderamen inculpatæ tutelæ secernit. Quamobrem prout jam demonstravi, ut vis Incantamenti potissima pendet ab idea naturali Sagæ; ita & consequens est, præfatam repercussionem esse prorsus licitam, propter naturalem Ideam desiderii, quo quis se eximere optat, ac studet Incantamento. Adeoque in repercussione nemo sequitur, aut proritatur vi pacti cum Cacodæ-

Cacodæmone. Imò sola ista repercussio vim Incantamenti prorsus naturalem manifestat, sicut & Dæmonis impotentiam.

Interim infelicissimus ille, totusque superbus, pudibundus, suam fateri cogitur impotentiam, suos decipit credulos, putantes, illum istius malignæ atqúe nocivæ activitatis solum herum, datorem, & rectorem. Quare & eundem serio cultu adorant, & in omni scurrilitate obediunt. Venena ergo sic parta cùm Satan nequeat pro optatu suo inficere, & conficere, ut neque pro lubitu adaptare, multoque minùs applicare; jubet id totum compleri per sua mancipia, ut fiant venena emanativa in proprium desiderii objectum. Sic namque venena, quæ antè erant vel prorsus materialia, vel res omnino indifferentes, nec nisi assumta fortè nocere poterant, jam jactis Ideis formaliter, seminaliter atque fermentaliter virulentis.

De Injectis Materialibus.

SUnt deinde etiam Injecta, quæ materiam supponunt visibilem; cujusmodi sunt *spicula, spinæ, aciculæ, paleæ, pili, serraturæ, lapilli, testæ ovorum ollarumque, putamina & siliquæ, insecta, lintea, acus, artificum organa*, quæ insensiliter quidem injaculantur, & invisibili prorsus modo intrant; diris tamen cruciatibus detinentur, & ejiciúntur, sintqúe licèt non raro majora suo foramine, per quod intromitti potuerunt. Nam nuper per poros cutis, pelle integram servante, injecta fuit *pars corii bubulis*, quem Chirurgus forcipe extraxit, ad volæ magnitudinem, priùs tamen maturato apostemate. Saga autem Brugis cremata fassa est, se in virum bonum corium istud injecisse.

Injecta materialia quæ?

Aliquot Historiæ.

Sic olim vidimus Liræ Pueros orphanorum per vomitum rejecisse *equuleum*, manibus astantium extractum, scamnum scilicet quadrupes, suâ rotâ atque funiculis instructum,

ctum. Quocunque autem situ locaretur equuleus, erat facilè duplo major gutture.

Vidi Antverpiæ anno 1622. Puellam, quæ conglomeratim fortè bis mille aciculas, pilos unà, & sordes, vomeret. Alteram virginem anno 1631. Mechliniæ, quæ, nobis præsentibus, quisquilias ligneas, dolabra lævigando derasas, cum multa mucilagine, vomebat, ad duorum pugnorum magnitudinem. *Res est frequens, passim visa, à viris doctis admissa.* Hærent tamen nasutiores, quòd nequeant intelligere, per exiguum ductum exire longè majora. Quidam enim excusant rem, adeò ut, licèt per vomitum rejecta videantur, volunt tamen nunquam intro admissa; ludibria, inquam, æstimant, ac oculorum effascinationes, de novo apparere, dum exeunt, atque adportari eminùs. Res quidem veras admittunt. Nam Insecta vivunt, metalla liquantur, & ligna ardent: cuncta sensim egrediuntur spontè, vel manu extrahuntur. Alii verò autumant, revera ejusmodi intrò injici, & sagittari in corpus, sed nesciunt modum. Delrio cum suis admittunt, intrò inferri, & esse revera, qualia apparent, ac proin præcedentem opinionem refellunt. Quoad modum introitus autem & exitus asserunt, illa priùs comminui à Diabolo in tenuissimum pulverem, restitui intùs in corpore in pristinam integritatem, figuram, & conditiones. Dum autem foràs prodeunt, iterum teri, asserunt, in pollionem, cumque instanti egressûs, & cis angiportum, iterum reduci in pristinum ens. Bis nimirum ligna, acus, bufones, viva animalia comminui in pulverem, totiesque reduci ad priorem habitum, & reviviscere. Hi enim negant, se præcedenti opinioni consentire, dum tamen idem cum illis dicant pro exitu & introitu; nimirum non illa revera intrare, aut exire, prout astantibus alioqui videntur, cùm non integra intrent, & exeant, sed prius pulverata. Supponunt eandem oculorum effascinationem, putantium integra, quæ tantùm sunt pulveres. Id enim Mar-

Res facti admittitur; disputatur tamen de injectionis modo.

Penuria judicii in disquisitore rerum Magicarum.

Martino Delrio frequens, *ſua nempe infringere judicia.* Etenim de diſquiſitionibus Magicis Tractatu de Chryſopœa, cùm furtim è Gebro & Bono Ferrarienſi ad verbum argumenta deſcripſiſſet, 18. contradictoria tandem, ubi ſuum depromit judicium, concinnat. Credo equidem cum pietate pugnare, ſi Diabolo tribuatur poteſtas, naturam ſuperans, nempe facere, deſtruere, iterum reficere, totieſque à privatione ad habitum reducere eandem rem, cujus ſemen diſpoſitivum ad finem jam deveniſſet. Verùm naturæ ignari præſumunt, ſe naturæ ſecretarios per librorum lectionem fieri. Quicquid autem ipſos latet, vel adynaton, vel falſum, vel præſtigioſum, atque diabolicum eſto. Quaſi Satanas ſupra naturam eſſet, operareturque naturæ impoſſibilia; Dono quidem modum operando exoticum; at ſanè adhuc intra naturam coërceri oportet.

Non superare naturam, quòd corpus ſolidum abſque comminutione traducatur per viam ſe longè anguſtiorem.

Itaque oſtendam, ***non planè opus eſſe auxilio Satanæ, ut corpus aliquod ſolidum, abſque ſui comminutione, traducatur per viam ſe longè minorem***, quia & hoc conſtans, quòd ſcilicet omnes ejuſmodi injectiones immediatè fiant per hominem, non autem per Satanam. Cacodæmon namque etſi Blas motivum habeat, contra pietatem tamen eſt, quòd inſontibus nocere poſſet pro lubitu; quod ſanè fieret, ſi paſſim ejuſmodi res injiceret, pro nefario lubitu. Puerulis, inquam, inſontibus, Virginibus piis, atque Deo ſingulariter dicatis, hæc eveniſſe vidi.

Hiſtoria per Gemmam recitata.

Corn. Gemma de Coſmocriticis meminit, *fruſtum* ℔ 3. ſive unciarum 48. ſe vidiſſe, de bombarda ænea, quod virgo, *vietoris filia*, per anum excreverat, cum ſuis characteribus ſive literis, ſimul cum anguilla, ſuis ſecundinis obvoluta. Eſt autem naturæ impoſſibile, pulveratum in nobis metallum liqueſcere, priſtinâ figurâ, tantoque menſium intervallo in inteſtinis detineri, *anguillam cum ſuis involucris* toties conteri, & à morte reſurgere, *fruſtaque ligni, & corii*, toties comminui, iterumque reſtitui in priſtinum

ſtinum. Bruxellæ enim vidi anno 1599. quòd *Bos*, ſumtis tribus herbis, evomuerit *draconem*, caudâ anguillari, corpore coreaceo, capite ſerpentino, perdice non minorem. Neſcitur modus, quo id natura faceret. Æquè neſcitur modus, quo id Satanas faceret. Lucrantur ergo nihil, qui opus naturæ in Diabolum referunt. An verò peccent, viderint alii. Pigritiæ ſaltem enim immenſæ inventum fuit, omnia in Diabolum retuliſſe, quæ non capimus. Invenio equidem naturæ contiguam dimenſionum penetrationem, licèt non ordinariam. Nec velim Diabolum invocatum, ut noſtris ſatisfaciat quæſtionibus, per temerariam poteſtatum attributionem.

Aliquot hiſtoria penetrationis corporum. Eſt hiſtoria *ruſtici Poloni*, nuper à filio D. Ericii Puteani viſa. *Agreſtis homo* tentaverat ſibi anginam in gutture aperire *brevi cultro*, quem incautus deglutivit, eundemque tandem, dextro abdominis latere, cum multo pure, poſtque multas anxietates, reddidit, & incolumis ſupervixit. Idem Vilvordiæ anno 1636. *ruſticus* mihi notus, volens ſaginare vaccam, illi quotidie poculum dedit, cui incoxerat olera, cum furfuribus. Tandem emaciatur indies magis, cœpitque dextero crure claudicare: cæsâ vaccâ, inventus eſt *brevis culter* uxoris ſuæ, in capulum buxeum retortus, inter coſtas, & homoplatam, abditus: ruſtica enim, concidendo rapas, cultrum inter olera reliquerat, eumque vacca bibendo deglutiverat. Item Ambroſius Paræus refert de quodam, quem latrones coëgerant, deglutire *cultrum*, quem dein ſoſpes reddidit per apoſtema lateris. Alex. Benedictus alterius meminit, cui *ſagitta* in dorſum penetraverat, cujus *uncum* dein latitudinis trium digitorum per anum excrevit, abſque læſione. Idem narrat de *puella Veneta*, quæ *acum diglutiverat*, eamqúe, poſt biennium, eminxit, calculo incruſtatam. Idem Ant. Benivenius, quòd *mulier Hetruſca acum cupream* deglutiverat, quam triennio inde, juxta umbilicum ſana, excreverat. Valeſcus de Taranta de *puella Veneta* (fortè eâdem) quæ

acum

acum trium digitorum, cum urina, rejecit. *Capucinus* quidam Eburo, dictus *Bullonius*, cognomine *Hampteau*, *araneam ingentem*, quam decidiſſe viderat in calicem, ſub jugi Sacrificio, vivam, cum multa animi averſione, bibit. Intra paucos dies illi oborta eſt phlegmone in dextero femore, ac ſub primo pure; inde *araneam integram* (mortuam tamen) reddidit. Mercator juvenis, Antverpienſis, Venetiis ludens *immaturâ ſpicâ* hordei in ore, ingenti ſuffocationis metu eandem deglutivit; poſt tres inde hebdomadas ſiniſtro latere ſupra zonam apoſtema apparuit, ac tandem cum pure eadem ariſta, jam lutei coloris, extracta eſt integra; ipſe autem ſoſpes evaſit. Apud Fernelium Studioſus ab ipſo legitur reſtitutus, qui *ariſtam* per coſtas dedit. Commemorant quoque Scriptores, fœtum quandoque in utero mortuum & conſumtum ſua *oſſa dimiſisſe* trans uterum & abdomen *per umbilicum*, & quandoque per anum.

Plura apud Authores paſſim ejuſmodi occurrunt fide digna; quibus conſtat, corpora ſolida ſatis magna penetraſſe ſtomachum, inteſtina, uterum, omentum, abdomen, pleuram, veſicam, membranas, inquam, tanti vulneris impatientes, id eſt, abſque vulnere cultros per iſtas membranas transmiſſos; quod æquivalet penetrationi dimenſionum factæ in natura abſque ope Diaboli. Quod autem corpus humanum ducatur per exiguum foramen, quò ſaltem felis tranſire queat, non tamen trans murum; imò quòd Diabolus nequeat frangere feneſtram chartaceam, abſque conſenſu heri, videre eſt ex proceſſu, & arreſto, contra Ludov. Goffredi, Sagum, pronunciatum Aquisgrani Narbonæ ultimâ Aprilis 1611. Tandem ubi delituerunt ℔ 3. æris tormenti bellici notati per ſua grammata? quomodo tot menſibus gliſcent ſcoriæ? quâ parte fruſtum æris inteſtino majus detinetur? Etenim dum neceſſarium in aëre vacuum tractarem, promiſi, me declaraturum, quòd, etſi corporum

penetratio primariâ lege naturæ, & vulgari artificum modo sit vetita, attamen dum corpus totaliter in ditionem spiritûs transit, ac transsumptum est, eoque velut infirmatur, tum corpora se mutuò penetrare naturaliter, quâ saltem parte sunt porosa, eò quòd spiritus tùm corpus sub se claudat, adeoque dimensiones velut adimat.

Probatur penetratio corporum in transitu ad locum.

Præmittam aliqua. *Prægnantem* libido invasit *edendi conchylia nigra.* Edit autem aliquot præcipitanter, ut & testas crudas, bis terve dente concisas devoraret. Dein mox intra horam fœtum parit sanum & adultum cum iisdem semimansis testis, & vulneratum in abdomine. Ergo testæ absque apertura membranarum statim penetrarunt stomachum, & secundinas, vel novæ testæ generatæ sunt super fœtum. Neque enim hoc posterius verum esse potest. Nam fuerint vera fragmenta conchyliorum, non autem ad imitationem figulariter æmulata. Dein appetitus non fertur in incognitum: ergo appetitus edendi conchylia non erat fœtus, sed mulieris. Igitur non erat necesse, conchylia nova generari circa fœtum. Appetebantur namque à matre, ut sibi, & non fœtui, nutrimentum fierent. Alioquin eodem identitatis argumento quæcunque appetuntur, semper circa fœtum generarentur; à quo cùm nequicquam digererentur, semper vel circa fœtum residua fierent, vel ibidem putrerent; quod utroque modo est falsum: nam si putreret, abortum faceret, quod est appetitum, vel ibidem conservatum, reperiretur regulariter. Etenim fœtus duntaxat nutritur per umbilicum: quapropter illa conchylia externa nec à fœtu optata, nec eidem proficua erant. Et per consequens, neque à natura de novo ob finem facta sunt, sed dimissa ad fœtum, quatenus appetitus fuit uterinus. Appetitus à fine semper dirigitur; prægnans autem appetit conchylia, non testas, nec etiam ut conchyle animal integrum maneret in pristino statu, in quo matri est inutile, nec suo satisdat appetitui. Ergo multò minus occasio-

occasionem habuit, generandi novas ac inutiles testas circa fœtum. Tandem utut sumatur, appetitus non erat ad testas bis terve confractas. Nam si conchylia conchis excisa fuissent, mandâsset ipsa conchylia, relictis testis; adeoque appetitui fuit accidentalis testarum comitantia, & concisio. Reor sanè, quòd, sicut desiderium, terror, &c. generant Ideas seminales, quas manus prægnantis ad fœtum dimittit, statoque loco depingit; ita gaudium reperti ejus, quod fuit appetitum, deducit illud ipsum ad fœtum. Sic nempe deglutiti cultri mœstitia, horror bibitæ araneæ, aristæque devoratæ, repellit eadem trans membranas vulneris impotentes absque nece. Hæc de *Injectis intrantibus vi ordinariâ naturæ*, extra suspicionem diabolicæ cooperationis.

Simile quid *in ablatis internè foràs*, quæ unico aut altero exemplo claudam. *Sartoris uxor Mechliniæ* præ foribus vidit militem in conflictu manum amittere: statim perculsa horrore peperit filiam unâ manu, altero autem cruentoque brachio exstinctam, quòd manus ejus non reperiretur, & hæmorrhagiâ infantem interimeret. *Uxor Marci de Vogeler*, Mercatoris Antverpiensis anno 1602. videns militem mendicantem, cui pila ferrea in obsidione Ostendana dextrum brachium abstulerat, illudque adhuc cruentum circumferebat, mox abinde filiam peperit orbam brachio, & quidem dextero, cujus cruentus adhuc humerus per Chirurgum solidari debuit. Nupsit mercatori Amstelodami, cui nomen Hoochcamer, illa adhuc anno 1658. superstes. Cæterùm nuspiam reperibile fuit brachium dexterum: nec ossa, nec ulla apparuit putrilago, in quam brachium contabuisset parvâ horulâ. Attamen nondum conspecto milite fœtus bina habebat brachia; nec potuit brachium avulsum annihilari. Ergo clauso utero ablatum est brachium. Quis autem avulserit naturaliter, & quorsum ablatum sit, certè non quadrant triviales rationes in tanto portento, aut paradoxo. Non sum, qui hæc dicam.

Idem in transitu è corpore.

Hæc dicam ſaltem, non fuiſſe brachium ablatum, ut neque avulſum à Satana. Deinde minoris operæ eſſe, deferri aliò brachium avulſum, quàm fuit brachium à toto avulſiſſe, abſque nece.

Uxor mercatoris cognita nobis, ut audivit, quòd uno mane decapitarentur 13. (tempore Ducis Albani contigit Antverpiæ) ducunturque inordinatis appetitibus prægnantes, ſtatuit, ſpectare detruncationes. Adſcendit ergo cubiculum familiaris ſibi viduæ in foro morantis, viſoque ſpectaculo, ſtatim illam adorſus eſt dolor parturientis, peperitque maturum infantem cruento collo, cujus caput nusquam apparuit. Non invenio ſaltem *humanam naturam abominari penetrationem dimenſionum*, cùm ſeminibus rerum ſit frequentiſſima. Paries in dolore filios: pœna eſt peccati. Ante peccatum ergo naturaliter peperiſſet citra dolorem fœtus proceros, illius ſaltem magnitudinis, quâ modo naſcimur; Non autem quòd mulier ante peccatum fuiſſet inſenſilis, ſed quòd utero clauſo exiiſſet. Ergo geniale à creatione fuit humanæ naturæ, dimenſiones ſe invicem penetrare, quia erat conditus, ut ſecundùm ſpiritum in carne viveret. Sed corruptâ naturâ periit iſta authoritas ſpiritûs ſuper corpus. Atque ideò brutorum more deinceps parit mulier.

Humana natura fuit genialis penetratio dimenſionum.

Imò commemorant Scriptores, trans oſſa fieri abſceſſus, ſuſque deque ferri cuncta abſque vaſorum ductu, vel commercio. Equidem *in rerum ſeminibus adhuc conſiſtet primæva illa penetrandi corporum energia*, non autem vi, arte, aut arbitrio humano ſubjecta. Nam multa ſunt corpora pluries ponderoſi, quàm materia, undè conflantur. Neceſſe eſt, inquam, concidere partes plus quindecim aquæ in unum, ut unica pars auri inde fiat. Etenim pondus non fit ex nihilo, ſed arguit ponderantem in æquilibrio materiam. Ergo aqua naturaliter toties penetrat ſuum corpus, quoties aurum aquæ præponderat. Domeſticus ergo, &

In rerum ſeminibus modò perſtat eadem proprietas.

quoti-

quotidianus seminum progressus in generationibus requirit corpus per condensationem seipsum penetrareq; uod artifici est prorsus impossibile. Demus, aquæ inesse poros; hi tamen nequeunt decies quater tantundem sui integri continere. Est ergo ordinarium in natura, ut aliquot partes aquæ se penetrent in unicum locum.

Hocque agunt semina, vi spiritûs cujusdam Archei. Archeus enim tam in præfatis seminibus, quàm in nobis, tametsi corporeus ipsemet, dum tamen agit actione regiminis, & materiam in se absorbet, edit plures effectus, Incantamentis non absimiles, quia propriè loquendo Archeus non imitatur Incantamenta, sed Incantamenta sequuntur normam ab Archeo præscriptam, quatenus scilicet operatur longè aliter, quàm corpora in invicem. Ut in uterinis affectibus nervi sponte distenduntur, dissiliunt tendines extra locum, rursusque resiliunt: ossa item dislocantur nullo motore visibili, collum ad menti altitudinem tumidum surgit, præcluditur aëre pulmo, venena inauspicata obnascuntur, cruorque insolitos sordium vultus ludit. Quantum autem penetrationes corporum spectat, Archeus noster corpora in se absorbet, ut fiant quasi spiritus. Per *exemplum*: aqua fortis suo spiritu æs, ferrum, vel argentum, manantia in sui natura opera facit ita transparentia, ut videri nequeant, & per chartam emporeticam, quæ aliàs ne tenuissimum pulverem transmittit, metallum adhuc in specie metalli essentialiter manens traducit; non autem quòd similitudo penetrationis dimensionum cum proposito metalli exemplo uniformiter quandret, quia (ut dixi) non quadrant rationes tanto paradoxo, ubi modum à priori indemonstrabilem lubens agnosco; prout nemo scire potest, quo pacto impressa seminibus Idea figuret, dirigat, atque disponat sua constituta. Ideoque à posteriori idem venabimur.

Quomodo illa contingant naturaliter.

Exemplo simili, in corporibus opacis, quæ desinunt videri.

Ratio per conjecturam.

Imprimis ratum esto, *Diabolo nullum in nos invitos jus aut imperium esse, nisi peculiariter permittente Domino.* Nescitis enim, quia templum Dei sumus, ipsumque regnum Dei habitet in nobis; quæ res est ab origine resulcanda. Primò ergo de fide est, nos esse sanctuarium Spiritûs S. & Sacrosanctam Trinitatem apud Justum suam facere mansionem; delicias Dei esse cum filiis hominum, quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Sunt autem pueri baptizati insontes, justi ipsorum est regnum Cœlorum, accommodatum templum Dei; pueri tamen cæteris faciliùs Incantamentis necantur. Ergo necesse est, id contingere ex facultate aliqua libera, cùm excellentia Christiani (præcipuè justi) concludat, *Diabolo nullum jus intrandi, aut introducendi sua media.* Cum perinde ipsi sit, per medium nocuisse, aut per se. Est ergo alia longè potestas Incantamenti, præter Diabolum, atque proinde *naturalis & libera.* In virum justum non ulli est imperium. Potestas autem si libera esset incantandi Diabolo, etiam illi æquè liberum esset, occidendi per cultrum vel malleum: & sic nemo im̃unis esset; imò si Diabolus posset, nollet in pellem justi intrare, ob divinam Regni cœlorum præsentiam. Alio nimirum modo Deum in justo præsentem intuetur Diabolus, quàm ubilibet alibi; quæ causa sempiterni in nos odii. Nec ergo intrat, etsi posset, sed circuit, ut Leo rugiens. Ergo Saga, per ens naturale imaginativè format Ideam liberam, naturalem & nocuam, quam nequit formare Satanas, eò quòd formatio Iidearum requirat Imaginem Dei, ac potestatem liberam: atque idcirco *Sagæ operantur virtute naturali, non minùs in justos atque insontes, quàm in viros nequam.* Imò cùm faciliùs inficiant Incantamenta pueros, quàm adultos; mulieres, quàm viros strenuos, significatur quædam naturalis potentia, limitata Incantamento, cui per pugnacem, & robustum animum facilè itur contrà. Diabolus ergo offert suis clientibus sordes, vel venena, ut Ideas in Imaginativa horum

Vis præcipua concurrens incantando, & libera, ideoque & homini naturalis.

horum formatas fermentaliter connectat. Imò istud Ideale virus præservat, ne per ventum difflettur, aut terrâ coopertum fracedine destruatur. Defert autem istud virus localiter juxta objectum incantandum; applicare tamen, aut in hominem ferre, nullatenus valet.

Itaque deinde homo etiam dimittit medium aliud executivum, emanativum, & mandativum, ad incantandum hominem, quod medium est Idea fortis desiderii. Est nempe desiderio inseparabile, ferri circa optata. Quibus omnibus Diabolus tantùm spectator in commeatu assistit, quia revera ipsa media operativa demonstravi jam, esse solius hominis. Etenim solus Deus est creator summè gloriosus in infinitum laudabilis, qui universum creavit ex nihilo. *Homo autem, quatenus est simulacrum Dei, creat ex nihilo quædam entia rationis, sive non entia in sui initio*, idque in propria virtututis phantasticæ dot, quæ tamen *sunt aliquid amplius, quàm merè ens privativum aut negativum.* Nam imprimis dum ejusmodi conceptæ Ideæ tandem se corpore vestiunt, specie Imaginis fabricatæ per imaginationem, fiunt entia jam subsistentia in medio illius vestimenti, cui per totum æquabiliter insunt.

Homo quatenus Imago Dei creat quædam entia, quæ aliquid sunt amplius quam non entia.

Et hactenus fiunt entia seminalia, atque operativa, à quibus videlicet ipsa suorum assumta subjecta totaliter mox diriguntur. Hæc autem potestas data est soli homini. Alioqui virtus seminalis ad propagandum data est terræ, brutis, plantis, &c. Itemque canis potest per rabiem salivam suam in venenum transferre, quia suæ speciei est vernaculum; quod etiam in diversis animalium venenis est obvium. Sed formare Ideas abstractas à sua specie, & proprietatibus adjacentibus, id nemini præter hominem est datum.

In ente imaginato, sive Idea formata, inest jus entitatis.

Penitiùs id quoque intuendo, videtur, *si in Idea per Imaginativam formata non præesset jus alicujus entitatis*, quod non posset se vestire, aut corpus assumere; imò nec

posset

possèt per imaginativam corpori Archei associari. Siquidem quod merè in se nihil est, nihil efficit, jus etiam ad nihilum negativè habet. Adeoque conceptus mox à conceptu periret, nec Ideam patraret. Imò si merum nihil esset, mox quoque in nihilum migraret. Sed cùm phantasia à conceptu ad Ideam, sive Imaginem formatam, procedat, & hinc ad ens seminale, sequitur, conceptum fieri hoc aliquid. in Imaginativa, id est, Imaginativam creare aliquod ens seminale, quod sit initium dispositivum ad formalitatem entis in potentia; prout ex chalybe & silice oritur scintilla: undè incendium maximè operativum.

Quomodo excidat Idea ab Imaginatione?

Sic *imaginativa objecto per conceptum se confricat, unde Idea:* ideoque Imaginationis actus non est tam nihili, ut non habeat aliquod in se fundamentum, accedens ad realitatem principiantem. Habet enim Imaginativa ad hoc, vel proprias sibi conformatas imagines cum anima, (ut multi credunt) vel saltem quandoque præsentes, per memoriam excitatas, & revocatas iterum reminiscendo.

Quomodo anima humana creat Imagines? Solvitur objectio.

Ego autem considero hæc, non quòd præexistant præludia Idearum in nobis, ante id, quod imaginativè concipitur, ut sint imagines proprii nominis conceptæ, sed quòd fiant per contactum potestatis actu Imaginantis (id est, formantis imaginem) & objecti imaginati. Adeoque de sinu suo *anima nuditer format imaginem*, quam nisi statim liget in Archeo, perit quoque, & sterilis fit eo ipso.

Aliquot paradoxa imaginantis animæ ad Ideæ constitutionem.

Nec obstat, quòd in febribus aut vigiliis morbosis umbras imaginum inviti experiamur; quæ scilicet fatuæ umbræ imaginum obambulant, absque connexione & discursu, coram imaginativa. Quicquid autem nobis invitis, nec volentibus imaginari, obumbulat sponte, imò & labores adfert, idipsum præexistere, est necesse, quasi umbras reconditas, ante reflexam super illas vim phantasticam. Sed confusè *ejusmodi Ideæ sunt è penu memoriæ recurrentes*, quandoque

doque impressæ; non autem quòd ante omnem imaginandi actum præexstitissent. Itemque nec arguit, quòd præfatæ Idearum umbræ sint confusæ, ridiculæ sæpè, & falsæ, adeò nec unquam antea conceptæ per sanam imaginativam: Siquidem naturaliter decisis semel imaginibus, & constitutis seriò, superinducitur altera, tertia, & ulterior, complicantque & penetrant se mutuò; undè confusio. Alioquin ordinatim subsequens imago destruit priorem, si ipsi est opposita: sin minus, siqúe priori consentiat, confortatur: vel si aliqua obliquitas inter utramque est, utraque confusè indeterminatur, vaganturque umbratiles; quod sanè nullatenus opem fert suppositæ Idearum præexistentiæ.

Mihi semper id visum fuit, Ideas de novo cudi per actum imaginativæ, instar scintillæ, per confrictum chalybis & silicis de novo factæ. Nec hoc activitati Idearum quicquam derogat, non amplius, quàm scintillæ ad magnum incendium. Respondeo itaque primæ objectioni, quòd, sicut non præest ignis in chalybe & silice ante concussionem; ita neque ullum entitatis præludium, vel imaginis vestigium, ante conceptum, & confricationem imaginativæ ad objectum præexstitit; sed oritur omnis primordialis entitas Ideæ in actu conceptûs, fitque vera Idea, dum scintilla (quæ aliàs statim periret) cadit in fomitem, & concepta imago cadit in imaginantem fomitem Archei; undè sequuntur potentissima incendia morborum. Veruntamen quia Tractatus Idearum tangit proximè Concepta, differo, & supersedeo, ulteriùs de Ideis disserere.

Injaculatorum Modus Intrandi.

PErgam nunc, supplere modum, quo Injaculata, Injectave, intrant, vel admittuntur: simulque illorum remedia *Unicum medium, quo Diabo-*

Huc cooperatur injactando, est oculorum præstigium, ut invisibiliter intrent.

dia subnectam. *Injecta imprimis introëunt invisibiliter.* Et hoc unum est merè diabolicum. Siquidem miserrimus Scurra cùm nihil habeat reale, quod ipsi sit relictum in libertate, tantùm habet vanas apparentias; quippe pater mendacii res ipsas mentitur, & falsò apparere facit, ab mundi initio. In præstigiis hujusmodi nil cooperatur homo Diaboli mancipium.

Quo autem modo Satanas res in se visibiles faciat non visibiles, sive illas involvat suo spiritu invisibili, ac res ipsas circùm apprehendat, vel demum id agat per oculorum effascinationem, vel etiam eo ipso, quo res aliqua corporaliter aliam penetrat (ut jam antè profusè per exempla est ostensum) sit fortassis eatenus invisibilis (quicquid enim dimensiones corporis amittit, potest etiam visum fallere) saltem curiosus indagator non sum operum Satanæ, quæ sibi in proprietate competunt. Sufficitque mihi, qúòd, quæ credita sunt, illius esse ostenderim homini propria, detexerimqúe omnimodam Satanæ pauperrimamque miseriam.

Blas motivum, & determinatum competit Diabolo.

Res igitur injiciendas, factas invisibiles, *transfert Diabolus ad objectum, dirigente iter Ideâ desiderii humani.* Etenim quia Diabolo non est permissum ullatenus, introire in hominem, multò minus ut eum lædat, atq; omnium minimè, cum onere invisibili, quod ipsus circumvolveret; ideo utitur Blas libero hominis sibi devincti. Homo ergô *suum Blas motivum liberum imprimit in corpus* invisibile factum; Diabolus autem defert usque ad hominem, in quem injicitur. Et sicut culter per desiderium atque consensum vulnerantis infigitur in carnem vulnerandi; ita hoc corpus factum invisibile per Diabolum injicitur in corpus incantandi per Ideam Blas motivi Sagæ, conspirante ad hoc Satanâ, propter directionem ferientis hominis.

Quantum homo ad hoc contribuat,

Sanatio Injectorum primaria.

Sanatio Injectorum absolvitur partim remediis ab ortu Ecclesiæ primitivæ celebribus, quæ operantur non nisi miraculosè. Cur autem non regulariter semper, ubique, &

apud omnes suum sortiantur effectum, aliis relinquo. Ego autem inscrutabilia Dei judicia non attingo, ut neque remedia, quæ sunt extra forum naturæ; partimque etiam habetur sanatio *per quædam simplicia*, quibus omnipotens Bonitas dotem à Creationis initio indidit, resistendi, præcavendi, & corrigendi Veneficia, itemque exigendi Injecta; quale legitur *Suffumigium jecoris* apud Tobiam; qualeque illud Salomonis, vel Eleazari, apud Josephum *Lib. 8. c. 2.* Quædam namque simplicia Cacodæmones arcent (misera hominum turba; quæ dulomaniam exhibet Diis, resistere non potentibus, simplicium efficaciæ naturali.) *Sanatio naturalis.* *Varietas donorum in simplicibus.*

Alia demum tollunt penetrationem luminis formalis, alligati excrementis. Nonnulla item saltem impediunt attactum, introitum, vel applicationem. Multa tandem, quæ ejusmodi venena corrigunt, interimuntque.

Imprimis *Electrum minerale immaturum Paracelsi* collo appensum liberat, quos spiritus immundus persequitur, quod ipsus vidi. Illius *Potum* verò plures à Veneficiis solvisse, memini; nemo autem, qui appenso illo simplici non præcaverit, ne Injecta intromittantur, vel ab importunis ligationibus confestim non solvatur. Barthol. Carichterus Maximil. II. Archiatrus, inter Medentes primus, (quod sciam) Germanicum Tractatulum, proximi misertus, Hero suo dicavit, in quo paucis herbis quoslibet, & quomodolibet incantatos sanat. Antesignanum suum *Daurant* (*Phu* est Dioscoridis) *floribus purpureis* (ultima *Valerianæ* species in ultima editione Matthioli est) omnibus prætulit. Magnifacio quoque *Verbenam flore purpureo*, *Hypericonem herbosiorem flore minuto*, *Abrotanum*, *Adiantbum*, *Rutam*, &c. Itemque *Corallium rubrum*, ejusque eductam *Tincturam* multum solaminis attulisse, sum expertus. *Utendum est herbis crudis*, concisis, non autem coctis, quoniam potestas illarum integra consistit in integritate concreti. Contusione ideo perit vis idealis herbarum. Decerpuntur autem *Nominatim procedit Author.* *Carichterus commendatur.* *Præcautio in herbis.*

herbæ, & radices effodiuntur, statione, quâ magis vegetæ, ideoque etiam mox oriente Sole. Propelluntur nempe Injecta foràs non secùs atque anguis ab igne.

Modus, quo Injecta semel foras expulsa, accelerant rejectiones.

Theologi verò solent Injecta, quæ rejiciuntur, igni absumere, in vituperium Cacodœmonis. *Rectè quidem sic illa pereunt, non sic tamen impediuntur illorum recidivæ.* Rectiùs ergo expulsa Injecta involvuntur simplicibus, quibus vis expulsiva inest, & asservantur; pari cum ratione, quâ sympathetica absens vulnus sanant hæc simplicia dotalia, arcent Injecta, detinent cohibentque, ne injiciantur, vanamque Magi operam deludunt.

Infirmitas ergo entis injaculantis meritò suspecta est, quæ Injicienda non potest intromittere, quia adest, & præest herba quædam impediens. Vis ergo, quæ Injecta intrò defert, non est Principis hujus mundi, & potentissimi spiritûs, sed entis cujusdam idealis, & infirmioris, quod tam facilè præpedit omnem introitum deinceps.



Lævini

LÆVINI FISCHERI

Corporis Medicinæ Imperial.

TITULUS XII.

De Morbis Magicè per Sagas inductis naturaliter curandis.

Principium Cognitivum.

MOrbi *Magicè inducti* ſupernaturales licèt ſint, tamen cognitionis tam Phyſicæ, quàm Hyperphyſicæ ratione innoteſcunt. *Morbi Magici quid?*

Ut Venenis ſua ſunt antidota, ita, Deo duce, provida rerum nihil fruſtra faciens natura contra maleficorum violentiam ſua *anti-Magica* procreavit, in quibus hac vice brevibus occupabimur. Magicæ actiones propter motum ejuſque actiones à Sophiatro non immeritò conſiderantur. *Magia* enim generaliter ſumitur pro facultate quadam, quâ efficiunt quidam res inuſitatas, & admirandas, aliiſque minus obvias, quemadmodum Joſephus *L. 8. Antiq. Judaic.* Salomonem, ait, inſtituiſſe occulta quædam remedia, ad pellendos hos morbos, & fugandos Cacodœmones. *Antimagica remedia.* *Magia quid?*

Signa faſcinatorum hæc ſunt: 1. Panis eſum nauſeant: 2. Jactabundi ſunt: 3. Epilepſiæ obnoxii: 4. Medicamenta abhorrent, quæ nihil juvant: 5. Si Æger brachium nudum in cumulum formicarum ponat, nec ſentiat mordacitatem: 6. Urina Ægri cocta in olla nova, ſi ebullit, non eſt faſcinatus; Maleficiati lotium nunquam ebullit. *Signa faſcinatorum.*

Dubitatur autem ab imperitis, an dentur morbi Magicè inducti? poſſintne naturalibus remediis curari? *Dari* verò *Morbos Magicè* inductos tot triſtia atteſtantur exempla, ipſæquе Lamiarum Sagarumque confeſſiones, & me- *Morbos Magicos dari.*

dia, quibus in Maleficiis istis, instinctu Satanæ, pessimè quidam abusi sunt. Nec desunt, qui superstitiosas, & damnabiles morborum per verba, characteresque, curationes inducunt, quibus Ethnici confidunt, sicut Galenus, alioqui rigidus Philosophus, longo sibi experimento compertum & confirmatum asserit, tot morbos verbis incantatoriis cessisse. At hæ machinæ Christiano indignæ sunt.

Credulitas est, fiducialisqe imaginatio ex varia mentis intentione orta, illorum idiolatriam fovens. Nos remediis ab Altissimo de terra procreatis pro salute publica in Dei O. M. gloriam, in Satanæ abjectissimi despectum, rectiùs curamus, ac tutiùs. *Remedia* ista *anti-Magica* naturalia hoc dependent ex principio.

Remedia antimagica.

Principium Anti-Magicum.

Curatio antimagica.

CUratio Anti-Magica partim est divina, partim naturalis.

Preces Morborum Magicorum remedia.

In Malis Magicè inductis amoliendis divina curatio præcedat Physicam. Divinum θεῖον τι, permissu Dei, à spiritu maligno per Sagas & Maleficas immissum, *precatione devotâ debet & potest averti.* Sunt enim preces instar panopliæ cujusdam infallibilis, adversus Satanæ, ejusque organorum insultus atque insidias. Neque enim expellitur Dœmonium istud, nisi jejunio & precibus, dicente Salvatore. Quin? quòd Morbi Magici remediis physicis curati, exacerbentur potiùs, quàm tollantur. Vix autem mihi tempero, quin divinum illud alexipharmacum contra præstigias malignantium à D. Chrysostomo, Ecclesiæ Patre singulari, vitæ sanctitare eminentissimo, in *Homilia* 21. *ad Popul. Antioch.* propositum, à nobis, aliisque, quibus istius S. arcani Autores fuimus, sæpenumerò sit probatum, hoc loco repræsentem. Antequam domo egrediaris, inquit, hac voce te munias, sancto simul signaculo fronti impresso: abrenun-

renuncio tibi, Satana! & conjungor Tibi Christe? Hæc vox, inquit, tutum te ab omni malo homine, omnibusque Malis Magicis præsentibus ac futuris, ipsoque Diabolo reddit, estque instar armaturæ hæc vox cum pietate conjuncta. Est enim recordatio quædam pacti cum Deo, signaculique in sacri Baptismatis nostri lavacro accepti, quod rectè fuga Dæmonum, quale Hypericum efficacissimum Botanici, contra Morbos Magicos, faciunt, potest nominari. D. Nazianzeni huc pertinet Dæmonis proscriptio:

Pectore cede meo, confestim cede dolose!
Vitâ cede meâ, corpore cede meo.
Fur, Serpens, Ignis, Belial, Draco, Bellua, Hiatus:
Mors, Vitium, Rabies, Nox, Chaos, Insidiæ,
Influctus fugito, Christus jubet ipse, marinos,
In Scrophulasve graves, in pecudesve Suum.
Ut legio quondam impia, sic tu perdite! cede,
Ad quem cuncta tremunt, ne cruce te feriam.
Membra crucem gestant, mea crux in pectore fixa est:
Crux pedibus præit, crux decus omne meum.

Cæterùm calamitates mortalium, dicente Synesio, & lacrymæ pœnitentium, sunt vinum Angelorum. Angeli enim custodes in viis nostris nobis à Deo sunt adjuncti, quos, si nobiscum per vitam devotam retineamus, nunquam decedunt.

Commentitium verò prorsus est, quòd Incantatores de *Characteribus*, *Sigillis planetariis*, *Verbisque* contra Fascinationes morbosque jactitant, id quod quia communi sensui rationibusque repugnat, verboque Dei, normæ actionum nostrarum, contradicit, ad Garamanthas & Jndos meritò proscribitur. Recurrendum omnino est ad Deum, qui omnes Satanæ conatus ac vires unico ictu irritos facere atque infringere potest. Neque omittenda tamen sunt *media*, quibus

Characteres, sigilla reprobantur.

Remedia naturalia contra Incantationes, quibus efficax est Numen cœleste, ejusque ministri sancti; concurrente enim cum *naturali remedio*, jussu Dei agente, causâ hyperphysicâ, Deo vel Angelo, res corporea naturalis, sive sit herba, sive radix, sive suffumigium, potest agere in Dœmonem, eumque, ejus conatus, & insultus expellere securissimè; sicut Raphaël Tobiæ Asmodeum ejecit.

Remedia naturalia contra Fascina. Radices variæ commendantur à Josepho. *L. 8. Antiq. c. 2. & Lib. 7. Belli Judaici*, & in his Baaras, cujus evellendi modus, & alia non nulla, suspecta rem reddunt. *Pœoniam nigram* ludibriis Dæmonum arcendis commendat Plinius *Lib. 25. c. 4.* Apulejus commendat *Verbascum, L. de Virt. Herb. c. 7.* Alii *Betulæ Decoctum*, vel *Liquorem* ejus potum deprædicant. Balduinus Ronsæus in *Venatione* quædam etiam celebrat non contemnenda. Amuletum ex *Hyperico, Lunariâ, Ericâ albâ*, & *Origano*, præsentissimum Sagarum terriculum, thoraci puellorum Morbis Magicis infectorum appensum, antidotum probatissimam sæpè experimento comprobari vidimus, Hinc Fascinatores Lunariæ hostes dicuntur: Lunariæ osores perdat Lucis Heros, cujus tamen simplicia remedia tanto resistunt robori mille artificis à Sole etiam abhorrentis, Satanæque mancipiis.

Cùmque sint Cacodœmonis nomina mille, mille nocendi artes, plura à Philosophis Botanicis observata remedia sunt contra Fascina, Morbosque Magicos, quæ omnia & *Precum efficacia contra Fascina.* singula recensere, supervacaneum sit. Unum necessarium, certius est certissimo, nullam efficaciorem, ut supra diximus, dari in præservandis atque avertendis Morbis maleficis anridotum, quàm Preces devotas, & auxilium Altissimi, id quod sacræ satis superque adtestantur Literæ.



Bartho-

BARTHOLOMÆI CARRICHTERI

Imperat. Maximil. II. Archiatri

Certa & Genuina

RATIO


Medendi Morbis

ab

INCANTATIONE

dependentibus,

nunc primùm Latinitate donata.



VIRO
Præstantissimo,
Magistr. Ulrico Beckio, *Viennensi*,
Amico Integerrimo
S. P. D.

Occasio scribendi.

ROgatus à Te, *Amicorum Optime!* ut Tibi indicem *Rationem, quâ Morbos atque Symptomata ab Incantatione oriunda dignoscere, iisque tutò mederi liceat*; id nunc fideliter præsto. Hoc autem fieri nequit absque singulari cujusvis Incantationis speciei cognitione, cui singularis etiam Medendi Ratio competit.

Sciendum præterea, non solùm homines, sed & animalia bruta ab Incantatione seu Fascino affici, atque interfici posse.

Mulier fascinata.

Jam quod admodum imbecillem illam, & malè habentem Mulierem concernit, cújus aliquot membra, uti innuis, coaluerunt, quamqúe nunc sub manibus curandam habes, certiorem Te his ipsis facio, non nisi à Fascinatione, quicquid ejus est morbi, proficisci, & quidem per corruptionem sanguinis, uti ex Praxi mea percipere poteris.

Sic dantur multi Incantationi imputari soliti morbi, quibus qui laborant, vix ægrotare videntur, nihilominus valdè debiles sunt, & tamen benè comedunt bibuntque;

intereà autem vix tantæ *vires* ſuppetunt, ut in lecto ſe verſare valeant, inſimul ingentes ſuſtinentes *dolores*, *angoresque*, quibus fit, ut ad *quietem* ſe componere *nequeant*; quod Malum itidem ſingularem curationem poſtulat.

Symptomata ab Incantatione.

Quid? quòd haud rarò ipſi etiam *Infantes faſcinentur*, quò minùs nempe rectè nutriantur, ſed potiùs *contabeſcant*, inque extremam *Atrophiam* delabantur, ploratu ac ejulatu totas noctes conſumentes.

Infant. faſcin.

Tabes Infantum.

Hoc ampliùs *Mariti* ſimul ac *Uxores* in conjugio Incantationibus ita corrumpuntur, ut non ſolùm perpetuas rixas inter ſe reciprocent, ſed etiam debitum conjugale invicem perſolvere nequeant.

Conjuges faſcinat.

Sunt inſuper & alii, qui acútiſſimo, eoque *ſpaſmotico dolore in manibus*, earum *digitis*, aliisque *membris* corripiuntur; indeque infernalis velut ignis ardorem perſentiſcunt.

Dolor ſpaſmoticus.

Alii per Faſcinationem *ratione privantur*, hincque nec die, nec noctu quieſcere poſſunt, miſerandum in modum inſanientes, hinc inde curſitantes, & nunc ſibimet violentas manus injecturi, nunc aliis varia damna illaturi, quæ Faſcinationis ſpecies itidem peculiarem requirit curationem.

Fit denique interdum, ut venefici homines *ceream Imaginem* palo impoſitam, ignique admotam verſando tam diu aſſent, donec ſenſim & ſenſim liqueſcat, ac conſumatur, quo contingit, ut miſer ille homo, quem cereum illud ſimulacrum repræſentat, diabolicâ arte in ſimilem colliquationem & conſumptionem corporis præcipitetur, quæ communiter pro vulgari tabe ſeu phthiſi habetur.

Faſcin. per Imaginem ceream.

Tandem & *animalia bruta* in ſtabulis ſuis ita faſcinari ſolent, ut inde non ſolùm eorum *lac in mammillis* exares-

Bruta faſcin.

exarescat, sed etiam ipsa temporis tractu concidant, atque intereant.

Has, atque similes Incantationum species probè observare, ac diligenter huncce meum *Tractatulum* legere, Te juvabit. Quin & herbas, eaque omnia ad earum curationem pertinentia remedia stato tempore colligere jubeo, quò Deo atque proximo tuo sincerè inservire, & à Fascinationum nocumentis præservare Te possis; id quod, si candidam hanc adhortationem secutus fueris, indubitatò per Dei gratiam fiet. Quo Te protectioni atque tutelæ æterni Dei commendatum volo.

Uratislavii die 16. Januar.
anni 1551.

Doctor Bartholomæus
Carrichter.

Hæc semper in promptu & ad manus habere oportet.

Hic recensere juvabit omnia ea, quibus contra supra memoratos affectus uti solemus; ubi in antecessum de omnibus notandum, omnes omnino herbas, radices, flores, & viscos, *circa plenilunium colligi, nulloqúe unquam ferro tangi* debere; exceptis paucis quibusdam, quæ circa novilunium colligere expedit; de quibus sigillatim in nostris Processibus:

Circa plenilunium colligenda.

Ferro non tangenda

Hypericum, *Artemisia*, *Abrotanum*, *Plantago*, *Allium rubrum*, *Flores Cichorii sylvestr. albi* in agris crescentes, *Origanum*, *Semina Pœoniæ*, *Antirrhini tres species*, imprimis *nobil.* à Matthiolo descript. floribus plumarum fasciculo similibus, iisque colore phœniceis, quam Antirrhini speciem pauci pro Antirrhino habent, itemqúe *tres species Trichoman.* seu *Adianth.* aut *Capill. Veneris*, quæ plerunque arenosis locis in fimetis crescere solent. Hæ plantæ omnes *sereno cœlo colligi* debent, & quidem eo ipso tempore, quo *floribus suis* maximè superbiunt.

Colligenda quando?

Præterea semper ad manus sint *Visci corylini*, *Lignum frangulæ* ex Tilia crescens, *Lignum tiliæ*, *Oleum*, *Terebinthina*, *Corallia rubra*, *Filix*, *Fungus ruber* sub betula crescens, *Scrophularia*, *Viscus tiliac.* Hæc, inquam, omnia semper parata habeas, si Morbis ab Incantationibus dependentibus ex voto mederi volueris.

Unguenta, vel potiùs Balsama dicenda num. duo, quibus in omnibus Incantationibus, indeque dependentibus Symptomatibus uti solemus.

Balsamum I. Visci corylini.

Balsam Visci corylin.

℞. *Pingued. catulor.* probè depurat. ℥iv.
capon. purificatiss. ℥xij.
Axung. ursi benè depur. ℥viij.
Visc. corylin. Miij.

Con-

Contund. omnia in Mortar. cum piſtillo ex *tiliæ ligno* conſtante, cum *baccis & foliis*, ut ſucculenta fiat Maſſa. Miſc. cum *Pinguedinibus*, inde Vitro anguſti orificii, ſeu, Phialæ, expone radiis Solaribus per novem ſeptimanas, & exinde fiet *Unguentum viride*, quo inungere licebit omnes externas Læſiones atque Dolores ab Incantatione dependentes; averruncat enim quoscunque Dolores, uti experientia ipſa deinceps Te docebit.

Balſamum II. Viſci tiliac.

Balſam. Viſci tiliac.

℞. *Pingued. capon.* benè depur.
adde
Viſci tiliæ, Miv.

Præpara eodem prorſus modo, quem in Balſamo I. innuimus; & ſic paratum ſerva Uſui.

Affectus ſingularis, quo homo contabeſcit, & ita incurvatur, ut ejus genua accreſcant pectori, qui ſimiliter Faſcinationi originem debet.

Affectûs ſingularis deſcriptio.

NE mireris, hominem quandoque ingenti dolore atque cruciatu corripi, quia Venefica accepit eas herbas, quæ ſunt in ſummo gradu Saturni, quæque in ipſo, & in Spiritu, ac Elevatione Tauri exiſtunt, quæſivit etiam ad eas Quadras ſex vel octo, hoc eſt, poſt plenilunium, tertium, vel quartum diem; tum etiam, Sole occidente, verba quædam Magica ſimul admurmuravit, quæ malus Spiritus ipſam docuit. Ipſæ quidem Veneficæ non intelligunt, quid loquantur, quoniam tantùm habent à malo Spiritu, nihilque addunt, præter ſolas præſtigias, falſasque illuſiones; exprimunt ſuccum; ter lavant eo manus, ita, ut ſuâ ſponte iterum ſicceſcant; nec dein ampliùs eas abluunt, donec illum hominem attigerint, quem lædere in animo habent; ad quem quàm primùm veniunt, manus ei porrigunt, qui, niſi Deo ſacris precibus ſe commendaverit, actutum

tùm falſo illo herbario Spiritu infeſtatur; à quo extemplò tres illi naturales ſanguinis Spiritus manifeſtiſſimè obturantur, quo fit, ut momento citiùs hominem illum ſub vel cum illo Veneficio inſani Dolores, inſtar torminum Ventris, corripiant, hique ilicò in ipſum corpus intimiùs penetrent, Contracturæ ſuperveniant, & miſerabiles conduplicentur lamentationes.

Curatio hujus Affectûs.

QUòd ſi fortè Affectus hic conjunctus fuerit cum gangrænoſo ardore, tunc extinguendus ille eſt *Lixivio ex rad. filicis*, & *cinere ligni quercini* parato, quo pars affecta calidè perfundatur. Poſtea recipe *Aquam antirrhini nobil.* vel, hujus defectu, *Aquam trichoman.* ante Solis ortum collect. ac deſtillat. ne quisquam hominum hoc videat; cui adde *Sanguin. catuli* gutt. iij. vel iv. Ubi notandum, ægrotanti maſculo *Sanguinem catelli*, fœminæ verò *ſanguinem caniculæ*, exhibendum eſſe. Atque hanc Mixturam aliquoties applicare expedit, usque dum nempe gangrænoſus ille ardor evanuerit. Hîc iterum animadvertendum, *Sanguinem* ex ſiniſtra *catelli* aure extrahendum; abſceſſu verò jam dehiſcente, hoc eſt, aperto exiſtente, & ad exulcerationem vergente, *Pulverem trichomanis* tam diu inſpergendum eſſe, donec Ulcus penitùs fuerit perſanatum, quod futurum certò confidas. Abſceſſu autem nondum aperto, accipe *Unguentum viſci corylini*, eoqúe partes dolentes perunge; & mox ceſſabit omnis dolor, ægerqúe convaleſcet.

Curatio. *Aqua antirrhin.* *Aquam trichoman.* *Nota.* *Cautela altera.* *Pulv. trichoman.*

Paralyſis, ſeu, Contractura Brachiorum & Pedum, quæ non incurrit in oculos, atque hinc Faſcinatione dependet.

SÆpè accidit, ut homo faſcinetur, quando Veneficæ *Bufonem* circa lumbos fuſtibus benè contundunt; unde fit, ut diabolicâ ſuperſtitione ille ipſe homo, cujus nomine

Bufo.

Bufo contuſus eſt, ſimiliter Contracturâ brachiorum & pedum corripiatur; atque hoc ita quidem, ut Mali hujus nihil quicquam exteriùs appareat, hincque adſtantes opinentur, ſimulari tantùm, & ex malitia fingi morbum, eò quòd nulla contabeſcentia ſeu atrophia advertatur.

Curatio hujus Affectûs.

℞. *Vini rubr.* Mens. ij.
Antirrhin. nobil. Mv.
Abrotan. Miij.

Coque has herbas in *Vino*, eoque lava ægrum in labro novies, atque id deinde effunde in fluvium, & poſt ſingulas Lavationes ægri membra *Unguento viſci corylini* inunge; cui etiam hoc ipſum *Vinum medicatum* tutò bibere licet; quo fiet, ut eo citiùs convaleſcat. *Balneum.* *Vinum medicatum.*

Affectus, quo Viri & Fæminæ ex Veneficio non aliter contabeſcunt, ac ſi communi Tabe ſeu Phthiſi, citra Incantationem, laborarent.

HAud raró contingit, ut Viri atque Fæminæ ex Veneficio contabeſcant, ita ut videatur, tales homines communi Phthiſi laborare. Hi Faſcinantur effoſſione ſuorum veſtigiorum, eorumque in fumario ſuſpenſione; quo fit, ut homo contabeſcat, ſimul ac, carbonis inſtar, exareſcat. *Phthiſis.*

Curatio hujus Affectûs.

℞. *Hyperic.*
Antirrhin. tres ſpecies
Trichoman. tres ſpecies
Aquam ante Solis ortum ſecundùm, & non contra, torrentem hauſtam.

In hac *Aqua* coque herbas, & fac, ut æger in ea per novem continuos dies, & quidem quotidiè bis, lavetur, idque ita, ut Balneum quotidiè renovetur. Atque intra hos novem dies æger nunquam nudis pedibus ſuis humum tangere, ſed perpetuò calceis aut crepidis indutus incedere, nec minùs *Balneum.*

post singula Balnea soleas pedis diligenter scalpere, omnemque scobem studiosè corradere, eam post nonum diem juvencæ quercui, facto foramine, eoque iterum obturato, insinuare, atque post singula lavacra *Unguento visci tiliæ* probè sese perungere, debet; & brevi convalescet.

Impotentia virilis, quâ per Incantationem fit, ut Vir debitum conjugale persolvere nequeat.

Impotentia. SUnt etiam adhuc aliæ Fascinationum species, quæ Viro, aut Fæminæ per Satanæ herbas & ligna in urinam calidam inferuntur; unde coëundi potentia adimitur; quod fit, quando maledicti hujusmodi homines ramum quercinum crescendo rectà assurgentem versus Solem sursùm acuminant, eumque postea illi humi spatiolo, quod Vir urinâ suâ perfundit, cuspide tenus immittunt, & urinam adhuc calentem pedibus suis fortiter terræ imprimunt: tunc enim Vir, à quo urina illa emanavit, facultatem generandi amittit, nec priùs eam recipit, quàm ramus ille terræ infixus iterum fuerit extractus.

Remedium.

℞. *Lignum* acuminatum, quod *Arbori quercûs* atque Spinis acatiæ seu prunæ sylvestr. spiritu, formâ & substantiâ adversetur, ut est *Betula*, *Ebulus*, *Ligustrum*: de his accipe ramusculos, collige invicem adinstar *scoparum*, ita ut frutectosum sursùm, *Scopæ.* truncus verò deorsùm vergat; tunc fac, ut æger supernè in hunc scoparum fasciculum urinam mittat; & statim in integrum restituetur.

Alius modus, Impotentiam virilem per Incantationem inferendi.

Impotentia. ALiæ Veneficæ accipiunt urinam illius hominis, cui virilitatem adimere in animo habent. Hanc in vasculum quercinum infundunt, idque epistomio obturatum, & in terra

in terra jacens cum epiſtomio ita verſant, ut vas ſubſiſtat; atque hoc ſummâ agilitate faciunt, ut urina incaleſcat, quo facto, actutùm homo faſcinatus tantum ardorem perſentiſcit, ut inde in inſaniam ac furorem præcipitari videatur, cogaturque, ſubinde urinam reddere.

Remedium.

℞. *Rad. angelic.* ℥jß. *Potus ord.*
Herb. trichoman. Mj

Projice in poculum ordinarium, & fac, ut æger continuè de ſpeciebus his, & nullum alium potum, bibat, donec convaluerit; illudq; membrum, quo vir eſt, *Unguento viſci corylini* diligenter perungat; & priſtinam recuperabit valetudinem. *Unguentum viſci corylini.*

Quomodo ei, qui tibi virilitatem ademit, occurrere queas.

ACcipe *propriæ urinæ* tuæ quantum tribus vicibus mingere potes; adde *Antirrhini nobil.* ſelect. Mj. Miſce invicem in nova olla nunquam antea ad ullum uſum adhibitâ, cooperi, & admove igni, ut ſenſim incaleſcat; & haud diu amplius remorabitur, ſed mox ipſe adveniet, qui hoc tibi intulit Faſcinum.

Remedia aliquot generalia, quibus hujusmodi ab Incantatione dependentibus ægrimoniis obviam ire licet.

VEneficorum hominum diabolicæ Artes infinitæ ferè ſunt, & ſubinde alia aliam ſuperat. Alii Faſcinationem exercent *Ferâ*, alii *Ligulâ rubrâ*, alii *Acu*: alii *Cingulum*, quod circa corpus ſuum geſtant, obtorquent, & Magica quædam *verba* admurmurant: alii certas herbas in viam ad portam projiciunt, quam faſcinandus tranſire debet: alii ſumunt *portionem Terræ* illius tumuli, qui tegit hominem occiſum, eamque projiciunt in lectum aut cubile, quod faſci- *Modi faſcinandi Serâ, Ligulâ, Cingulo, Herbis, Verbis, Terræ portione.*

fascinandum ingredi oportet. Tales, atque hujus farinæ alii plurimi dantur fascinandi modi, quos omnes recensere non operæ est pretium.

Fascinatio per Seram. *Fascinatio*, quæ *per Seram* fit, hoc est, quando impotentia virilis, aut depravata imaginatio alicui infertur, curatu quidem difficilis est; nihilominus recipe *Antirrhini nobil.* atque *Trichoman.* & *Aquam stagnantem.* *Potus.* Hæc coque & *bibe*: deinde abi ad bivium, ubi crux erecta est: ex ea extrahe clavum, quemcunque volueris, & per foramen illud urinam mitte, hocque eôdem clavo iterum obtura; atque hoc eodem modo ter repete, & pristina tibi redibit integritas.

Incantatio per Ligulam. Quòd si *Incantatio* virtute *Ligulæ* rubræ effecta fuerit, in hoc casu ex terra extrahe palum de sepe, in solum te demitte, genitalia tua caveæ illi inde, inque eam urinam *Præsidium.* redde; tunc iterum surge, palum paulò antè extractum eidem caveæ insinua, Deumque precare; & convalesces.

Fascin. per Acum. Unguent. Viscin. *Fascinatio per Acum* inducta solo *Unguento* aliquo viscino iterum aboleri potest, si se fascinatus diligenter eo unxerit; quo sanitatis integritas mox redibit.

Incantatio per Cingulum. Contra *Incantationem Cingulo* illatam coque *Antirrhin. nobil. Trichoman. Origan.* & *Hyperic.* in *Vino* aut *Cerevisia*, ac deinde bibe aliquandiu. *Potus.*

Fascin. per Herbas. Quòd si *Fascinum* ab *herbis Saturninis* in via ei objectis, qui pullatus incedit, seu funus comitatur, ortum traxerit, illi ita succurrendum: nempe jube, ut æger versus ortum Solis aratrum erigat, tuncque ex eo baculum extrahat, & per *Præsidium.* vacuum ejus locum ter mingat; & mox cum Hygeia redibit in gratiam.

Incantatio portione Terræ inducta. Si quis *Incantamentum* incurrerit *ex portione Terræ* ejus tumuli, sub quo jacet occisus, is sumat asserem capuli ex arbore mortuâ factum, cui nodus ex ramusculo insidet, eam- *Præsidium.* que pertundat, ac per foramen inde natum urinam mittat; & desideratam nanciscetur valetudinem. Atque hæ illusiones

nes quia maximam partem ſimplices homines corripiunt, occultare eas nolui. Et cùm hactenus recenſita remedia omnia facilè haberi poſſint; ex omnibus ad hanc, vel illam Faſcinationis ſpeciem directa cum judicio ſeligere, aliisque poſt alia uti licebit, usque dum appropriatum obtinueris; nullum enim eorum noxium, quin potiùs etiam viliſſimum ita comparatum eſt, ut prodeſſe, & amiſſam ſanitatem reſtituere poſſit. *Remedia appropriatæ eligenda.*

Contractura & Paralyſis, cui ſequior ſexus utplurimùm obnoxius eſt.

PORro contingunt nonnunquam Incantamenta in refrigeratis, præhumidis, & veneno infectis nervis, atque ſanguifluis vaſis, & quidem ita: nimirum venefici homines *Acum*, quâ defunctus quispiam in linteamen inſutus eſt, in pulchrum pomum immittunt, indunt ſimul *Succum buclossæ*, & relinquunt tam diu, donec ſuâ ſponte iterum exſiccuerit, ne factum foraminulum animadvertatur; tunc pomum illud fæminis & virginibus largiuntur, quod quàm primùm comederint, ilicò ordinarius menſium fluxus exareſcit; unde ſuppreſſus ille ſanguis extemplò in omnia membra ſe diffundit, & tales fæminæ Contracturas incurrunt, ita ut haud raro pedes earum atque genua pectori accreſcant, inque miſerabili hujusmodi ſtatu usque ad vitæ finem permaneant; qualia exempla plurima paſſim reperiuntur. *Modus, quo fiat.*

Curatio.

℞. *Antirrhin.* Mj. *Potus.*
Verben. Mv.
Scrophular. ℥ij.
Vin. alb.
Aq. ſimpl. ana Menſ. j.
Coq. ad tert. part. conſumption.

Hujus *Decocti* exhibe ægro quotidie ter pro doſi magnum hauſtum; quod ubi abſumptum fuerit, novum præpara.

℞. *Filic.* MLX.

Aq. fontan. quantum tria ſatis ampla ahena capere poſſunt.

Balneum. Coque optimè ad aliquot horas, & permitte, ut ſuâ ſponte tepeſcat, ita nempe, ut fæmina perferre posſit; tunc illa in Decocto hoc *lavetur*, & quidem manè per duas horas; veſperi verò per unam horam. Quinto die renova Balneum, quod conſtet ex *Herb. filic.* ML. & ex

Scrophular. Mx.

Potio. Pro quarto *Balneo* accipe tantundem herbarum, idque tam diu continua, usque dum fæmina priſtinam recuperaverit valetudinem; unáque etiam adhibe paulò antè deſcriptam *Potionem*, & membra contracta perunge *Balſamo viſci tiliac.* *Balſam. Viſci tiliae.*

De Magicis Affectibus Venarum hæmorrhoidalium.

Venæ hæmorrhoidales. SUnt & alii Affectus Magici, quibus *Venæ hæmorrhoidales* afficiuntur, ut ſunt, calor, & humiditas à ſubſtantia frigida, nempe in triplicitate ſua, idque bis, quoad *Venas hæmorrhoidales* externè, quo homo plenus verrucarum fit in toto corpore ſuo, ita ut tandem fruſta duos tresve pugnos æquantia ex eo abſcindi debeant, totumq; corpus inſenſibile reddatur, usq; ad mortem; ſanguis enim citò vappeſcit, & omnia vaſa ſanguifera replentur materiâ arenosâ, indeque reſultat *Morbus Kibea*; quin etiam totum corpus ulceribus obtegitur, mariscorum adinſtar; cui Malo unicè obviam ire licet *Rad. ſcrophular.* & *Herbâ meliſs.* Hic morbus pertinet ad principium in tertio gradu Honſtoris reſoluti. Verùm quàmprimùm inſenſibilis fit, pertinet ad uviatoriam Arſolutum inflaculectum Capricorni, comprehendens principium, & exitum tertii & quarti gradûs. Attamen nonnunquam etiam hujusmodi affectus ab ira proficiſcuntur. Hi eâdem ratione curandi ſunt, quâ illi, nervique omnes ſimiliter *Balſamo viſci* *Morbus Kibea.* *Remedium.*

viſci

visci tiliac. & *Pingued. capon* perungendi. Qui verò per impositum in tales affectus inciderunt, ita ut iis pedes atque artus quasi emoriantur, illis succurrendum *Fungo rubro*, qui sub umbra *Tiliæ* crescit, & sub terra radicat: illud enim, quod humi stat, abjiciendum est, quia nullum usum præstat; solum ergo frigidum, quod sub terra radicat, pyxidi stanneæ include, & futuro usui asserva. *Fungus rub. til.*

Hic probè notandum, fungum illum acuminato *Ligno tiliaceo* effodi, & ferro neutiquam attingi, quin etiam omnes res calidas atque siccas longè exulare, debere; quippe quibus Fascinatio multò magis augeretur. Deinde sciendum, efficacem illam fungi illius partem contundendam esse, ut instar butyri evadat; tuncque hanc massam super membra affecta illinendam, & ipsos fungos primo quartario colligendos esse. *Nota.* *Cautela alia.*

Alii exulcerati, seu externi affectus in pedibus ac manibus subnati sunt, ut in foraminibus suis rubri fiant; curanturque beneficio *Antirrhin. nobil. Phaloranes* dicti, floribus magnis, & postea in ipso eorum medio ingentibus plumis gaudentis; ubi non intelligendum *Antirrhinum* commune, seu *Daurantum*, sed ultima species à Matthiolo descripta, quæ omnium maximè ignota est, atque versus ortum Solis locis arenosis crescit. Hoc *Daurantum* pertinet ad primum gradum Jovis. Atque huncce *Pulverem* recipe, eumque insperge Ulceri cum *Aqua trichomanis*, seu *callitrich.* & *capill. Vener.* dict. quæ herba ex singulari musco crescere solet. Sanabit citò funditùs. Hi affectus pertinent ad; ut salorum conscribi: adhuc ad principium in raholtium vitiatum tertii gradûs. *Remedium.* *Pulvis.*

De Affectu spasmotico Manuum, Pedum, omniumque Membrorum, & imprimis Digitorum, ingentes dolores pariente, imò omnes alios cruciatus superante.

De hoc Affectu spasmotico plura & varia scribenda suppete-

peterent; quandoquidem experientia teſtetur, hominem hominem ultra ſexcenta milliaria hoc affectu enecaſſe; prout etiam aliquando Lutetiæ Pariſiorum contigit, ut maribus ultra fretum propter uxorem ſuam, quam alius quispiam deperiit, interfectus fuerit; id quod quomodo acciderit, à Magis quæri poteſt. Dantur præterea & alii hujus commatis morbi, qui à Veneficis & Sagis concitantur, & quidem vel *Spinis acaciarum*, vel *Ramis quercûs*, vel *Acubus*, quibus defunctus inſutus eſt, vel *Unco* ſeu *Hamulo piscatorio*, vel *Clavis ex ſoleis equorum extractis*, vel denique omnibus aliis talibus rebus, quæ naturâ calidæ ſunt & ſiccæ, atque Saturno ſubjectæ; uti quotidiana experientia docet, non ſolùm prædictas res, ſed etiam pilos ex medulla oſſium, aliaque admodùm abſurda & præſtigiatoria, quæ tantùm non omnem fidem ſuperant, per exulcerationem eliminari ac protrudi.

Quomodo tales Affectus per incantationem fiant?

Facili autem negotio hujuſmodi Incantamenta *Curatio* averruncare licet? nam quamprimùm *Balſamum viſci corylini* illiniveris, ſubitò omnis dolor evaneſcit. At ſi hic jam diu duraverit, ipſaque affecta pars inflammationem conceperit, tunc extinguenda ea eſt *Radicibus filicis*, & *Foliis quercûs*, ſicut alii à Faſcino dependentes affectus, & poſtea inungenda ſuprà dicto Balſamo; qua ratione æger brevi convaleſcet, & ulcus penitùs conſolidabitur.

Nota.

Hîc quivis unus amicè ſubmonendus eſt, ut, ſi Magicam illationem ſeu ſpaſmoticam affectionem ullâ aliquâ in parte corporis ſui percipiat, & nobile hoc Balſamum non habeat ad manus, neceſſitatis caſu, proprium *Stercus* ſuum & *Allium* rubrum in uſum vocet, utrumque invicem commiſceat, ferro tamen neutiquam tangat, & affecto membro applicet; quo ægrotus ſtatim melius habebit; hac tamen iterum cautelâ, ut hoc fiat ante ſeptimum diem exorti affectûs; & ſic nulla metuenda erit exulceratio; quæ ubi nihilominus obvenerit, curare juvabit, ut alios Magicos affectus.

Cautela alia.

Si quis

Si quis hominum per Fascinationem *ratione privatus* fuerit, uti nonnunquam juvenibus atque virginibus accidit, quando arte destituuntur, aut eam non rectè didicerunt, neque diem, neque horam observantes; tunc non mirum est, si delirio corripiantur; qualia exempla mihi ipsi plurima notare licuit. *Insania per Fascinationem.*

Multa certè & varia Incantamenta inter homines contingunt, quæ parviæstimantur, & flocci penduntur, proque levi re habentur, uti quotidiana experientia testatur, scilicet quando juvenibus atque virginibus talis bolus propinatur, *quo coguntur, illam* vel *hunc deperire*, ad quam vel quem nullo amore feruntur; fit enim sæpè sæpiùs, ut tales personæ per hujuscemodi Fascina matrimonio conjungantur. Verùm talis *amor* non diu durat. Et hæc quidem Incantatio exercetur per multa & varia artificia; alia enim fiunt per *Herbas*, quas venefici homines die Veneris colligunt, & effodiunt, admurmurando Magica quædam verba, quæ Diabolus eas docuit; alia per *Specula*, additis quibusdam verbis; quæ Fascinationis species inter suprà memoratas periculosissima est. *Amor per Incantationem.* *Quomodo fiat?*

Instructio, si quis ex Magicè conciliato Amore ratione privatus, aut à veneficis hominibus ita fuerit fascinatus, ut exinde demens fiat, quo auxilio ei occurrendum.

℞. *Hyperic.* Miß
Antirrhin. nobil. Mij.
Trichoman. seu *Capill. Vener.* Mj.
Vini Mens. iij. *Potus.*

Coque, & exhibe ægro vesperi, manè, & circa meridiem, largum haustum, pro dosi; atque hoc continua per septem dies; octavo verò die manè propina ei *Ambræ* nobil. gr. xxxj. vel ʒß (pro qualitate atque viribus personæ assumentis) hocque itidem ita continua per septem dies. Ast si Diabolus afflicto homini nimiùm insidiaretur,, in hoc casu sequens Balneum in usum vocari deberet: *Remedium aliud.*

℞. *Hyperic.* Miij.
Origan. Mij.
Antirrhin. nob. Miij.
minor.
commun.
Capill. Vener. specier. duar.
ana Mj.
Aq. stagnant. & suprà dicto modo haust. q. s.

Balneum.

Coq. ad tert. part. consumption. & in hac Aqua lava ægrotantem per novem dies, vel tam diu, donec inde sanitatem recuperaverit; ubi notandum, Balneum hoc quotidiè renovandum, & præcedentem Potum, atque *Pulverem*, unà continuè usurpandum esse; & pristina valetudo indubitatò redibit.

Nota.

Si quis Fascino eò adductus fuerit, ut sine certo aliquo homine, (sive Vir sit, sive Fæmina) esse, vel vivere, nequeat.

℞. *Fl. cichor. sylv. alb.* crescentis in via, & locis lutosis Mj.
Hyperic.
Antirrhin. nob. ā Mij.
Coq. in *Aq. fluent.* sed ita, ne quisquam hominum hoc videat, neu observet.

Potus.

Hanc Aquam bibe per novem continuos dies, & calceum pedis dextri adapta pedi sinistro; sinistri verò pedis calceum dextro applica, atque sic utrumque calceum per octiduum gesta, probè memor, ne interea temporis nudis pedibus incedas, aut humum calces: & recipies desideratam integritatem. Quin etiam Amuleti loco è collo pendentem geras *Hypericum, Rad. origan.* & *Antirrhin. nob.* Hæ enim omnes Herbæ malas cogitationes abigunt.

Præsidium.

Amuletum.

Ad hæc, fiunt adhuc alia *Incantamenta* per *cereas Imagines*, quibus homo eâ corporis parte læditur, quâ modò vult

vult Venefica. Et hæc Faſcinatio periculoſiſſima eſt, peculiaremque curationem, & ſpecifica remedia, exigit. *Faſcinatio per Imagines cereas.*

Inſtituitur autem hæc Incantatio per Imagines multifariis modis, quorum aliqui mihi ipſi obvenerunt. Nonnulla enim Faſcina citiſſimè contingunt; quando nempe Veneficæ *ceream Imaginem* ad ſimilitudinem omnium ejus hominis membrorum efformant, quem lædere, in animo habent; hanc Imaginem quercino palo imponunt, & pòſt in eam chalybeatâ ſagittâ jaculantur; ubi quamcunque partem feriunt, eâdem ilicò homo quoque Contracturâ percellitur, non multò aliter, ac ſi communi Paralyſi correptus eſſet, pro qua etiam plerumque vulgus habet; cùm tamen talis affectus revera non ſit, quandoquidem haud raro totum illud membrum emoriatur. *Quomodo fiat?*

Hic affectus ita curari debet. *Curatio.*

℞. *Fung. betul. rubr.* ſuprà memorat.

Præterea ſæpiùs etiam per *ceream Imaginem* faſcinantur homines, ut *Gibboſi* fiant, & ſentiant intra præcordia ſua tantum ardorem, ut videatur, cor concepiſſe flammam; id quod Præſtigiatores hâc ferè diabolicâ arte effectum dant: nimirum accipiunt cereum Simulacrum, illudque transfodiunt acuto ex quercino ligno facto veru, & ſubinde verſant prope ignem. Jam quàm diu ita apud ignem quaſi aſſatur, tam diu homo, quem Faſcinum hoc reſpicit, adeo vehementer angetur, ut combuſtionem ſibi imminere videatur; quemadmodum etiam haud raro fit, ut, quando aſſatio diutiùs continuatur, ille tandem, ipſam obire mortem, neceſſe habeat. Alii verò Faſcinatores hujusmodi Simulacrum calido tantùm in loco collocant, ut continuè caleat, quo fit, ut homo, ad quem Veneficium directum eſt, perpetuò ſudet, eoque ſudore non aliter, ac cera, colliqueſcat, ac conſumatur; ita ut vix ultra tertium annum ſuperſtes vivere valeat. *Gibboſitas per Incantationem.* *Quomodo fiat Incantatio per Imagines cereas?*

Huic Fascino tali auxilio obviam eundum.

Curatio.

Balneum.

℞. *Hyperic.*
Origan.
Antirrhin.
Capill. Vener.
Abrotan.
Artemis. ana part. æqual.

Coque in *Aq. stagnant.* ad tert. part. consumption. in hac *Aq.* lav. æger quotidiè bis singulis vicibus ad bihorium.

Nota de Aqua hac pro Balneo calefacienda.

Hîc autem observandum, quomodo hæc *Aqua* coquenda sit; non enim communis ignis adhibendus est, quippe quo morbus adhuc magis ingravesceret; imò nullus prorsus ignis ad hoc opus idoneus est, qui silice aut ferro elicitur, sed cura, ut habeas lignum ex pomo, aut alia arbore, cæsum, quam fulmen percussit; ex illo ligno serram confice, & hanc super limine ligneo, quod plurima hominum pars transit, tam diu reciproca, donec flammam concipiat; tunc ligna cæde ex *fungo betulino* præparato; hunc accende apud eandem flammam, & exstrue inde rogum, quo Aquam ad balneum destinatam calefacere, & ad omnia alia corporis tui commoda, uti licebit. Vide etiam, & diligenter cave, ne ignis hic extinguatur, quia tam facilè resuscitari nequit. Quin & *bibere* cum herbis coctam hanc Aquam juvabit; & convalesces. *Stagnantem* verò *Aquam* Balnei, quam tertio quoque die renovare oportet, eundem semper in locum effunde, ex quo hausisti, ut cum reliqua Aqua torrentis profluat.

Cautela alia.

Decoctum bibere.

Alia Fascinationis species de Imagine, quam Præstigiatores sub limine in alicujus hominis detrimentum recondunt.

SUnt venefici homines, qui ceream Imaginem artificiosissimè efformant; & tunc omnibus ejus membris infigunt aut *spinas acaciarum*, aut *acuminatum lignum quercinum*, posteaque hanc ipsam Imaginem sub illud limen defodiunt, quod

quod homo, quem Imago repræſentat, ſæpiùs tranſire ſolet; & mox percipiet ille ingentem dolorem in omnibus membris, quæ corrugantur ſimul ac contabeſcunt, ita, ut miſer decumbere debeat pauperis adinſtar Lazari, ubi fit, ut ex hoc membro *Clavi*, ex illo *Acus*, ex altero *Spinæ*, & quicquid denique Imaginis membro alicui antè infixum eſt, per exulcerationem prodeat; quale quid ipſe hiſce meis oculis vidi. *Incantatio per Imagines.* *Quomodo fiat?*

Clavi, Acus, Spinæ; &c. ex ulcere prodeunt.

Remedium.

℞. *Hyperic.*
Antirrhin. nob.
Callitrich.
Origan.
Abrotan.

Ablatio Ulceris.

Coq. in *Vino* bon. eoque partem affectam diligenter ablue, & purifica; quin etiam quotidiè ter largum *hauſtum* ægrotanti ebibendum propina. Nec inutile erit, *Balneum* parare ex ſuprà dictis herbis in *Aqua ſtagnante* coctis conſtans, inq; illo quotidiè eum lavare, ita, ut per integram horam in eo commoretur; ubi iterum notandum, ſingulis tertiis diebus *Balneum* renovandum, idque per dimidium menſem, decreſcente lunâ, & tam diu, continuandum eſſe, usque dum priſtina redierit ſanitas. *Potus.* *Balneum.* *Nota.*

Hoc ampliùs Præſtigiatores illos *amatores*, qui amaſias ſuas deſpicantur, ac malitiosè deſerunt, veneficâ Arte ſuâ *revocare*, & coercere ſciunt, ut redeant ad priſtinos amores.

Cogere, ut redeat amator.

Ars autem hæc in hoc conſiſtit: nimirum accipiunt Herbas, quas in gratiam Diaboli colligunt, inque ejus nomine cumulatiſſimè eo, quo fiunt modo; coëmunt, imponunt iis omnes ad hoc opus neceſſarias res, & tunc ignem adſtruunt pro illo homine, quem revocare nituntur, tam diu eum ſuſtentantes, donec hic fuerit reverſus, qui propterea nunquam & nullibi quieſcere poteſt: imò ſi reverti omnino nequerit, mente capitur, & præ animi angore ipſam vitam cum morte commutat. *Quomodo hoc fiat?*

Tali personæ ita succurrendum.

Contra hujusmodi angorem animi.

℞. *Antirrhin. nob.*
Vincæ pervin.
Trichoman.
Hyperic. ana part. æqual.

Curatio.

Coq. in *Vin.* & exhibe tali personæ pro potu; jube quoque, ut *Antirrhin. nob.* atque *Hypericum* è collo suspensum gestet; & convalescet.

Potus.

Sunt etiam nonnulla Incantamenta, quibus Infantes hoc ferè modo fascinantur.

Amuletum.

PRæstigiatores Infantibus surripiunt fascias, indusias, vittas cubiculares, & quicquid denique ab Infantibus obtinere possunt; idque in fumario suspendunt, quo fit, ut Infans propter fumum non solùm, sed etiam ob Magica acclamata verba quiescere nequeat.

Infantes fascinantur quomodo?

His hoc modo suppetiæ ferendæ.

℞. *Perfoliatam*, eamque coque in *Aqua*, & lava in ea Infantem per tres continuos dies ante Solis ortum; deinde *Aquam* effunde in secretum locum, ubi homines frigent, aut in torrentem.

Curatio.

Postea ℞. *Antirrhin. nob.*
Hyperic.
Capill. Vener. ana part. æqual.

Balneum.

Redige omnia in *Pulverem*, eumque Pulmento inspersum per triginta dies Infanti exhibe; & pristinam recuperabit sanitatem.

Adjuratio, seu, Incantatio Infantum.

Pulvis pulmento inspergendus.

ETsi hæc non pertinet ad Magicam Artem, tamen ejus recensendo mentionem facere volui, quòd in gratiam miserorum Infantum fiat. Dignoscuntur autem inclamati seu incantati Infantes, quòd circa oculos admodum lividi sint, noctu

noctu quiescere nequeant, multoque ploratu ac continuo ejulatu totam domum impleant.

Remedium.

℞. *Vincæ pervinc.*
Antirrhin.
Hyperic.

Signa fascinatorum Infantum.

Affunde *Aquam*, & ex ea lava Infantem novies: deinde

℞. *Visc. tiliac.*
Frangul. in *salice* quæ crevit.

Balneum.

His *suffumiga* Infantem vesperi atque manè; & mox meliùs habebit.

Quando Pecora fascinantur, quomodo illa ab interitu præservari, & Incantatio averruncari queat?

Contra illata in Pecora Fascine.

℞. *Thuris*
Myrrhæ
Allii rubr. q. s.

Suffumigium.

Contunde omnia die Jovis à meridie, & tunc pecoribus devoranda exhibe *panis* recenter pisti, dictoque Pulvere atque *Sale* conspersa, aliquot frusta; quo facto, mitte ea sine mora in poscua. Altero verò die, nempe Veneris, & quidem summo manè, mulctis vaccis, mulctra non eluta, adeoque sine ulla elutione, in fumario suspende: & paulò pòst veniet Venefica, mutuans aliquid; hoc tu autem noli ei mutuò dare; divagabitur quidem illa hinc inde in ædibus, sed vide, ne se proripiat foràs. Atque hoc unicum & præcipuum ferè est Remedium.

Curatio. Pulvis.

Remedium.

Aliud Remedium.

Accipe Lac, quod fudit fascinata Vacca, effunde id in novam ollam die Sabbathi ante Solis ortum, tunc longiores pilos vaccæ sub oculis evelle, eosque conjice in illam ollam Lac continentem; deinde panaceam confice massam ex farina, inde eam in eandem ollam, & hanc operculo perluta.

Præsidium Magicum.

lutatam probè contege, ne quicquam aeris penetrare queat. Hoc facto, ollam hanc cum Lacte in ignem pone, & coque per unam atteramve horam; poſt hæc coctum Lac per pannum collatorium diligenter lotum atque mundum trajice. Tunc præcipe, ut Vacca ter mulgeatur, Lacque per eundem colatorium pannum, quo ſuprà diximus modo, urge, & quicquid eſt Lactis, cæterarumque rerum, in novam ollam effunde, adjice etiam quisquilias domûs tuæ, & tandem ollam hanc cum omnibus in ea contentis ad illud limen colloca, quod Vacca ſtabulum ingrediendo tranſit, additâ recitatione quorundam precariorum verborum, in eo conſtantium, ut adempta utilitas reſtituatur.

Aliud Præſidium Magicum.

Præſidia quædam generalia, contra omnes Incantationes ſalutaria.

QUicunque de Incantatione ſibi metuit, aut inter tales homines vitam degit, & cum iis verſari debet, qui de hujusmodi crimine ſuſpecti ſunt, vereturque, ne & ipſe Fascina incurrat; is ſumat *Hypericum* & *Antirrhinum nobil.* juſtâ conſtellatione collectum, atque effoſſum, utrumque ſuſpendat in quatuor angulis domûs, hypocauſtorum, cubilium, & cellarum, lectisque ſubſternat, quin & è collo pendens geſtet; ſic, ſeriò ſpondeo, nulla Faſcinamenta cuiquam noxæ fore. Iisdem etiam binis Herbis, *Pulveris* formâ, internè ſingulis octiduis ſemel uti licebit; nec abs re erit, Sali immixtum hujuscemodi *Pulverem* armentis quoque exhibere; &, quisquis eſt, tutus erit, ac præcavebitur, ab omni Incantatione.

Pulvis.

Atque hæc ſunt, quæ in tui gratiam *Chariſſime Frater Ulrice*! deproperare volui. Expende ea, & ſuſcipe fidelem hanc meam doctrinam. Iterum ſpondeo, ſi dextrè tractaveris omnia, atque herbas ſupra memorato modo collegeris, colligendique tempus accuratè obſervaveris, fore, ut, quemadmodum ſupra innui, omnibus Incantamentis reſiſtere valeas. His commendatum Te volo divinæ protectioni. Dabam Græciæ die 3. Januar. 1551.

Remedia.

Colle-

Collectanea & Secreta
MYLIANA
ad
Morbos Magicos,

quæ hactenus non nisi Manuscripta privatis in scriniis

aliquandiu delituerunt,

nunc verò demum primùm prælo commissa

publicam in lucem emittuntur.

IUdicia Dei occulta sunt, & justa: & judicia Dei sunt abyssus multa. *Psalm 35. vers. 7.*

Mali ob peccata pœnis affliguntur. Pii afflictionibus probantur, & exercentur. Boni à peccatis abstrahuntur ærumnis. Et verò Deus ubique & semper gloriosus est.

Incantatio est actio, quâ ab homine, qui cum malo Dœmone pactum iniit, ejusdem operâ aliquid, quod supra naturæ cursum est, perficitur. *Incantatio quid?*

Ejus genera, Επωδαὶ bonæ ad morbos sanandos, malæ ad morbos inducendos. *Differentia.*

Φαρμακία { Philtrorum, Venenorum, Magicarum actionum in } Characteribus, Imaginibus, Certis verbis.

Inducuntur Morbi à Diabolo, ejusque asseclis, & ministris, per causas naturales, vitiosos humores vel generando, vel *Morbi Magici à quibus, & quomodo inducantur?*

vel movendo, & quidem ad Partes membranosas; unde summi Dolores; ad Aures, unde Surditas; ad Oculos, unde Cœcitas; ad Cerebrum, unde Epilepsia; ad Nervos, unde Convulsiones; vel inquinando spiritus animales humoribus melancholicis; vel auferendo arbitrii libertatem, unde Amor insanus, Odium Vatinianum; vel varia & falsa Phantasmata objiciendo; vel naturali constitutione & inclinatione abutendo, ita, ut Venereus in Venerem ruat; vel situm humorum in oculo pervertendo; vel Tympanum in aure rumpendo; vel alia Membra ita destruendo, ut nunquam in pristinum reduci possint; vel Obstructiones excitando; vel Humorem corrumpendo, malignisve qualitatibus imbuendo; vel malam Intemperiem inducendo; vel abutendo Humore melancholico; vel organa hominum vitiando; vel Imaginationem corrumpendo, substituto & ementito animalis cujusdam corpore, aut corporis imagine; vel aptando hominibus Exuvias animalis cujusdam, Plin. *L.* 8. *Hist. Natural. c.* 22. vel certis confictis corporibus, aut illorum imaginibus corpora circum tundendo, & membra membris applicando; vel causis naturalibus excitatos Tumores dolorificos variis & admirandis rebus, majoris doloris causâ, replendo.

Incantatio quomodo operetur? *Incantatio causa est externa*, ideoq; nunquam, nisi concurrente internâ, morbum producit; adeoque eâ remotâ, quando morbus productus est, ad sanationem non sufficit.

Fascinatio quid? *Fascinatio* est vaporis virulens à corpore noxio naturâ ab aliis diffidente ἀπόρροια, quo aliorum corporis habitus, & spiritus, per visum, contactum, invidiam, ob vocis & maledicæ linguæ virulentiam, per vaporis halitum conspurcata corpora contabescere coguntur.

Fascinatio quomodo fiat? Juxta alios, *Fascini* & *Incantationis* ἐνέργεια est corrupta melancholicorum & amentium hominum procreatio, quæ à Dæmonis astu ortum sumpsit.

Fieri potest Fascinatio per contactum, exemplo marinæ torpedinis, quæ per arundinem & filum piscatoris manui stuporem inducit.

Alii

Alii accuſant in Faſcinatione vapores transmiſſos ab anima imaginante & deſiderante; alii effluvium malignum, adeoque contagium; alii perſuaſionem; alii timorem, qui facilè incom̃odum aliquod conferre poſſit; alii Diaboli malitiam, & vafritiem, quâ, permiſſione divinâ, per Sagas nocere ſolet, idque mille modis.

Aliis *Faſcini* cauſa eſt effluvium virulentum per oculos, linguam, contactum, primò erumpens.

Per diuturnam & multiplicem experientiam vim & effectum rerum naturalium cognitum habet *Diabolus*, & per hæc admirandas res operatur. Accedit, quòd ſubtilis & expeditus res commodè aggredi poſſit, & per celeritatem ſuam, & rerum naturalium notitiam, fallere viſum, aliosque hominum ſenſus. *Diaboli potestas & scientia*

Nam licèt ejus voluntas ſit depravata, tamen natura Angelica permanſit in ipſo; unde non tantùm naturæ perfectione excellit omnes creaturas corporeas, ſed etiam poteſtatis vigore, quam Deus illi permittit cùm ad punienda ſcelera & peccata impiorum, tum ad piorum conſtantiam & perſeverantiam explorandam.

Satanas non niſi per cauſas, & modum naturalem, efficere quicquam poteſt. Nam quicquid per ſe, vel ſuos miniſtros, operatur, aut omnino mera animi oculorumque eſt illuſio, aut verus cauſarum naturalium effectus. Aliud enim potentius nihil quicquam poteſt. *limitata.*

Non poteſt abolere à Deo datum in rebus naturæ, nec novas vires & proprietates rebus inſerere.

Miraculum nullum facere poteſt, licèt per res nobis ignotas ſummâ aliquid celeritate agat, quod nos in admirationem trahat. Citò enim colligit ea media, easque cauſas, quibus agat: continuò ea repræſentat, aut fugat, imò celerrimè omnia. *Diabolus quantum poſſit?*

Cùm hominis mens immediatè decipi & pati nequeat, primâ quâque arte *phantaſiam obſidet*, quæ aptiſſima in- *Phantaſiam corrumpit.*

ſtruere mentem variis conceptibus per corpus ſpiritus percieant, eamque ita obfirmat, ut neque facultati æſtimativæ, neque rationi ſanæ relinquat locum: ſomnia movendo prodigioſa, aut cibos exhibendo flatulentos.

Phantaſiæ Vis. *Maxima vis eſt phantaſiæ* ad errores, exemplo morboſorum.

Satanæ aſtutia & Violentia. Ea eſt Satanæ & *aſtutia* & *violentia* ſimul, quâ plurimiis modis novit agentia adjungere patientibus: tum vires agentium ita aggravare, & exacuere, ut ſolito celerior & gravior prodeat effectus.

Satanas tempeſtates excitat. Dei permiſſu, cum virtute cœli & elementorum *excitantur Tempeſtates, Pluviæ, Grandines, Fulgura, Tonitrua.* Dœmones nonnunquam materiæ promovent motum: disgregatas cogunt exhalationes, & ita componunt, ut ſæviſſima ingraveſcat tempeſtas, quam ipſam detorquent in hominum exitium, & jumentorum, ædificiorumque, deturbationem, atque calamitatem ægrorum.

Nonnunquam nulla ſuppetente vaporum copiâ, aeris confractu fragorem, compulſuque nimbos concitant.

Diabolus morbos infligit. *Morbos infligunt* in his, in quibus corpus animalis pronum paratumque fuerit, nec cauſarum externarum inſultus acceſſerit. Etenim τὰ προηγουμένα τοῖς προκαταρκτικοῖς ſingulari ſæpè modo evocant, & exacerbant, admiſcendo alimentis & pabulis φθοροποιά.

Cauſa externa quomodo hîc concurrant? Unde occaſionem præbent eundi per corpora putridis & violentis halitibus ſcatentia. Hinc *venena* proſtituunt, quibus hominibus pecudibusque nocent. Unde humorum putrefactio, & partium ſequitur corruptela: aliàs *ſpiritus vitales inflammantur*, & aut σβέσις repentina, aut μαρασμὸς lentus inducitur: aliàs maligna & mordax *qualitas impingitur nervis*, unde *intolerabilis cruciatus.*

Cui ſuffragatur non tam οἰκονομία Dei, quàm etiam diverſa corporum εὐπαθῶν & δυσπαθῶν conſtitutio: adde modi diverſitatem, quâ Maleficium nunc ad hunc, nunc ad alium, pertin-

pertingit; ἀϑρόως per venenatam auram, aut illâ jam dissipatâ.

Non lædit Veneficæ intuitus, sed contagium. *Veneficæ quomodo lædant?*

Licèt Dœmones sint incorporei, & *sensuum organis careant*, *atque corporibus naturalibus affici*, & ex iis vel *voluptatem*, vel *molestiam percipe naturaliter non possint*; interim tamen Deus, qui supra naturam est, rebus naturalibus vim agendi etiam in incorporea tribuere potest, quam procul dubio etiam *Suffitus* ille *Jecoris piscis*, ex vi Dei illi concessâ, habuit. *Diaboli qualitates. Suffitus ex jecore piscis*

Mira illa, quæ rejiciuntur per alvum & vomitum, fiunt interdum per *Diaboli præstigias*, adstantibus illudentis. *Diaboli præstigiæ.*

Injecta imprimis *introeunt invisibiliter*, & hoc unum est merè Diabolicum; siquidem miserrimus scurra cùm nihil habeat reale, quod ipsi sit relictum in libertate, tantùm tales vanas apparentias fingit, quippe pater mendacii, resque ipsas mentitur, & falsò apparere facit, à mundi initio. *In præstigiis nihil cooperatur homo.* *Injecta quomodo intrent? Præstigiæ ab homine nulla fiunt.*

Prognosticum in Morbis Magicis.

M*Orbi omnes à Veneficio inducti curabiles non sunt*, sed, Deo permittente, à Diabolo humani corporis constitutio ita potest vitiari, ut nullâ humanâ ope possit in pristinum restitui. *Venefici morbi non omnes curabiles.*

Curatio.

RΕs & Herbæ naturales in Dœmoniacum agunt, vel Maleficio infectum, inducuntque dispositionem illi, quam Dœmon immisit, contrariam. *Curatio morborum Magicorum,*

Absolvitur autem Sanatio partim *remediis ab ortu Ecclesiæ primitivæ celebribus*, quæ non nisi miraculosè operantur, partim per quædam simplicia, quibus omnipotens Bonitas dotem à creationis initio indidit, resistendi, corrigendi, & præcavendi Veneficia, itemque exigendi Injecta, quale le- *quibus fiat & quomodo?*

Suffitus jecoris Tob. *Electrum.* le legitur *Suffumigium Jecoris*, apud Tobiam, qualeque illud *Salomonis*, vel *Electrum* apud Josephum *L. 8. c. 2.*

Simplicia quomodo agant? Quædam *Simplicia Cacodæmones arcent*: alia *tollunt penetrationem luminis formalis* alligati excrementis: nonnulla saltem *impediunt attactum*, *interitum*, vel *applicationem*: multa tandem, quæ ejusmodi *venena corrigunt*, *interimuntque*.

Electri virtus. Imprimis *Electrum minerale* immaturum Paracelsi collo appensum liberat, quos Spiritus immundus persequitur, *Ejus potus.* quod ipsius vidi. *Illius potum* verò plures à Veneficio solvisse, memini.

Herba anti-Magica. *Daurant* (Phu est Dioscoridis) floribus purpureis (ultima Valerianæ species, in ultima editione Matthioli.)

Magnifacio *Verbenam* flore purpureo, *Hypericonem* herbosiorem flore minuto, *Abrotanum*, *Adianthum*, *Rutam*, itemque *Corallum rubrum*, ejusque eductum.

Herba cruda adhibenda. *Utendum Herbis crudis*, concisis, non autem coctis, quoniam potestas illarum integra consistit in integritate concreti. Contusione ideo periit vis idealis herbarum.

Herba & Radices quando colligenda? *Decerpuntur* autem *Herbæ*, & *Radices effodiuntur statione, quâ magis vegetæ sunt*, ideoque etiam mox *Sole oriente*.

Injecta propulsa quomodo tractanda? *Propelluntur* nempe *Injecta foràs, non secùs atque anguis abigitur*. Theologi verò solent Injecta, quæ rejiciuntur, igne absumere, in vituperium Cacodæmonis: rectè quidem, si pereunt; non sic tamen impediuntur illæ recidivæ.

Rectiùs ergo expulsa Injecta involvuntur simplicibus, quibus vis expulsiva inest, pari cum ratione, quâ sympathetica absens vulnus sanant. Hæc enim simplicia totaliter arcent Injecta, detinent, cohibentque, ne injiciantur, vanamque Magi operam deludunt.

Naturalia remedia. *Naturalia remedia* sunt (1.) *Vomitoria*, ut *Tartarus emeticus* Myns. à gran. iv. ad vj. Cum quibus vitiosi humores ejiciuntur, quibus Diabolus præstigias suas, Cultros, Aciculas,

culas, Vitra, Crines &c. admiſcere ſolet inter vomendum: (2.) *Purgantia*: (3.) *Urinam cientia*, quale eſt, *Ludum Paracelſi*: (4.) Herbas propinando, quæ *venenis*, quorum natura plerumque latet, non ſine commodo adhibentur, idque etiam in Morbis à Diabolo inductis, in quibus venenoſas in corpore diſpoſitiones excitat, quæ ab ejusmodi medicamentis infringuntur. Talia ſunt *Herba Paris*, ex qua Antidotus Saxonica vulgò dicta conſtat, *Ariſtologia rotunda* & *longa*, *Hypericum*: (5.) *Unguenta*, quale eſt Carrichteri *L. 2. c. 12.*

Alii utuntur his remediis in Morbis ejusmodi Magicis:

Potus Ordinarius.

Potus ord.

℞. *Rad. angelic.* ℥jß.
Viſc. coryl. ℥ß.
H. artemis.
trichoman. ana pjß.

Incis. gr. m. inſuantur *Nodulo* ex ſyndon. qui *Potui ord.* injiciatur, ut Maleficiatus continuò de eo bibat.

Vinum aquilegiatum. *Vinum Aquilegiatum* cum Rad. Herb. & Flor. etiam eſt experientiſſimum in omnibus Morbis Magicis remedium, & Maleficiatis: reſerat etiam omnes Lienis & Jecoris obſtructiones.

Simplicia anti-Magica.

Contra Morbos Magicos
Herbæ, Radices, & alia communia ſimplicia
Remedia hæc ferè ſunt.

Moly, *Tapſia*, *Pœonia nigra*, *Viſcus quernus*, *Angelica*, *Rhamnus*, *Verbaſcum*, *Ruta*, *Scylla*, *Ruta capraria*, *Solanum*, *Alyſium*, *Hypericum*, *Sambucus*, *Verbena*, *Herba Paridis*, *Antirrhinum*, *Artemiſia*, *Centaurium*, *Abrotanum*, *Allium*, *Aquilegia*, *Savina*, *Palma Chriſti*, *Ariſtolochia*, *Salvia*, *Anethum*, *Marrubium*, *Origanum*, *Chamæpytbis*, *Cyclamen*, *Cupreſſus*, *Leontopodium*, *Betonica*, *Succiſa*,

cisa, *Frontis Hyænæ Corium*, *Rostrum Lupi*, *Suffitus Stercoris humani &c.*

Herba astrales. *Astrales* autem seu *Magicæ Herbæ* præterea sunt: *Persicaria*, *Ophioglossum*, *Herba sophia*.

Specifica anti-Magica. Magnetis instar contra omnia Veneficia habentur: *Folia quercûs*, *Chelidonium*, *Azoth*, *Corallia* pulverisata: unum aut alterum horum remediorum per se adhibitum, & quidem ita, ut super centrum incantatæ partis applicetur; quod injectam materiam ita extrahet, ut manifestò coràm exteriùs appareat.

Grana Myrmec. Austriaci in omnibus Morbis Magicis frequentissimè utuntur illis *Granis*, quæ in *Myrmeciis* seu *Formicarum acervis* reperiri solent, & grana Thuris seu Olibani æmulantur.

Aq. anti-Magica.

Aqua contra Magicos Morbos.

℞. *Hyperic.*
Artemis.
Rut.
Chelidon.
Capill. Vener.
Vinc. pervinc.
Succis.
Fol. querc.
Durant. nob.
Polytrich. Apul.
Roris Solis.
Asæ fœtid. ana
M. F. Destillatio ex *aquâ* communi.

Unguent. contra Veneficia.

Unguentum contra Veneficia.

℞. *Adip. canis* benè liquat. & mundat. ℥iv.
ursi ℥viij.
caponis ℥xxiv.
Visci colurn. truncos tres adhuc virentes,
frustatim sectos & tusos dum humescunt,

Con-

Contund. ſimul lignum, folia & truncos, miſc. omnia, & Soli expone per novem ſeptimanas, & Balſamum extrahe virentem, quo Veneficiatorum corpora & loca maximè dolentia ſi unxeris, certo curabis experimento.

Aſpergillum ad omnis generis Veneficia.

Aſpergillum contra omnia Veneficia.

℞. *Rad. ariſtolog.*
chamæleont.
magiſtrant.
Piperis nigr.
Camphor. ana

Miſc. omnia: affund. Aq. fontan. coq. ad quartæ partis conſumptionem: hanc Mixturam diligenter cuſtodi: tunc obſerva & exſpecta Novilunium ipſo die Solis incidens: tali die ramum ex vegeta arbore ſine acclamatione decerpe, cui apium adhæret turma: atque hunc ramuſculum in præſcripta Mixtura intinge, & humecta, eoque quaſi *Aſpergillo aſperge* omnia conclavia, omnes menſas, & omnia reliqua ſupellectilia earum ædium, quas incantatus inhabitat.

Unguentum Veneficia diſſolvens.

Ungu. Veneficia omnia diſſolvens.

℞. *Sang. capr.*
catell.
Pingu. capricorn.
Medull. capri
pull. equin.
Butyr. ex *lact. equæ* parat.
Balſam. ex *viſc.* & *flor. coryl.* par.

Miſc. fiat inde l. a. Unguentum.

Potus: Balneum: & Fomentatio, contra Veneficia.

Potus. Balneum. Fomentatio.

℞. *Artemis.* alb. ante Solis ortum collectæ,
& in *Aqua fluviatili* ſecundo
fluxu hauſtâ coctæ q. ſ.

(Nam adverſo flumine Veneficia peraguntur)

Hujus uſus eſt in *Potu* & *Balneo*, itemque *Fomentatione* membri Veneficio tacti.

Pulvis contra omnia Veneficia,

Pulvis contra omnia Veneficia.

℞. *Rad. angelic.*
Flor. hyperic.
Fol. vinc. pervinc.
auricul. muris,
mors. Diabol.
artemis.
adianth. aur.
Visc. corylin. ana q. s.

Sacculi. Electuarium.

Misc. fiat *Pulvis*, ex quo etiam possunt fieri *Sacculi*, *Electuarium*, & similia.

Purgans electuarium contra omnia Veneficia.

Electuarium purgans, & sanans Veneficia omnia sine alio medicamine.

℞. *Sem. psyll.* contus. ʒß
Affund. *Aq. nostr.* vel alterius *purgantis* q. s.
Stent per 24. horas: tunc exprim. Mucilag. add.
Mann. colat. ʒj. iterum add.
Diagryd. grana aliquot.

Infantibus utile.

Singulare est Remedium pro Infantibus, cujus quantum cochlear parvum capere potest, manè & vesperi pro re nata exhibere licet.

Suffumigia contra omnia Veneficia.

Parari præterea possunt *Suffumenta* è *Laur. Rutâ, Hyperico, Salviâ, Roremarino, Rosis, Ligno Aloes, Santalo, Corticibus cirt. Thure, Mastich. Benzoe, Styrace Calamit. Ladano, Moscho, Sulphure.*

Nec minùs prosunt *Balnea*, in quibus *Ruta, Hypericum, Artemisia, Verbena, Palma Christi* &c. incocta sint.

Emplastrum fœtidum Myns. in omnibus Veneficiis.

Emplastrum fœtidum ab Adrian. à Mynsicht vocatur Medicina cœlestis & probata ad quævis Maleficia, super centrum, ubi cruciatus affligunt, si ponatur; cujus hæc est Descriptio.

℞. *Asæ fœtid.* ʒiij
Granor. antirrhin. quæ Sceleton repræsentant, num. vj.

Fol.

Fol. querc. num. iij.
Corall. rub.
Pulv. magnet. ana ʒjß
Misc. cum *ol. hyperic.* & fiat l. a. *Emplastrum.*

Ejusdem Mynsichti *Tinct. Hyperici* ab ℥iij ad ℥iv. bis in die sumpta etiam multum præstat. *Tinct. hyperic. Myns.*

Potus contra omnia Veneficia.

Potus ord. in omnibus Veneficiis.

℞. *Antirrhin.* cum *sem.*
Hyperic.
Pyrol. ana q. v.

Decoq. in s. q. *Cerevisiæ* vel *Vini* ad tertiæ partis consumptionem. Dosis est manè & vesperi Haustus.

Balsamus contra omnes Morbos Magicos.

Balsam. contra omnes Morbos Magic.

EX *Ol. hyperic. terebinth. lumbricor. terr. cer. pingu. human. medull. human. theriac. mithridat. visco querno, tiliæ, coryl. fol. persicar. rut. murar. pyrol. flor. antirrhin. hyperic. verbasci, betonic. centaur. min. prunell. consolid. aur. flor. ptarmic. Austriac. chelidon. sem. antirrhin. hyperic. rad. dracuncul. aristolog. rot. symphyt. scrophular. fabar.* sive *crassulâ major. croc. ♂tis, mumiâ, mastiche, thure, myrrhâ.*

Valet contra omnia *Venena, Maleficia, Incantationes, Fascina, Morsum Rabidi canis, Vulnera Capitis, Dysenteriam, Tenesmum &c.*

Suffitus in Morbis Magicis.

Suffitus in omnibus Morbis Magic.

℞. *Sardonich.*
Chrysolit.
Ametyst.
Chrysoprass. ana ʒß

M. F. *Pulvis* subtilissimus, qui subigatur cum *Cera virginea*, & formentur inde *Candelæ.* *Candelæ contra omnes Morbos Mag.*

Candelæ contra Morbos Magicos.

Candelæ contra omnes Morbos Mag.

℞. *Smaragd.*
Topasii ana ℈ß
Saphyri
Hyacinth. elect. ana ℈j

M. F. *Pulvis* cum *ol. myrrh.* q. ſ. & *Ceræ virgineæ* q. ſ. & formentur inde *Candelæ.*

Candelæ aliæ.

Candelæ aliæ.

℞. *Flor. coryl.*
centaur. ana ʒij
ſambuc.
gentian. ana ʒjß

M. F. *Pulvis*, & cum *Cer. virgin.* q. ſ. fiant inde *Candelæ.*

Obſeſſos, & Dementes, reſtituendi Ratio.

Emulſio Terebinthinata.

Emulſio terebinth.

℞. *Terebinth.* ʒß
Myrrh. ʒß
Pulv. de *Viperis* ℈j.
Syr. de ♁ ʒjß

Miſc. cum *Aq. flor. hyperic.* q. ſ.
F. *Lac.* ſeu, *Emulſio terebinthin.*

Talis Doſis ſingulis 4. vel 5. diebus manè aſſumatur, continueturque, quamdiu neceſſitas exegerit.

Venæ cephalic. ſectio. *Venæ ranin. ſectio.* *Capillorum abraſio.*

Poſt hæc *Venæ cephalicæ* in utraque manu tundantur, emiſſo ſanguine usque ad deliquium animi; dein, poſt quatuor dierum ſpatium ſecentur etiam *Venæ ſub lingua*, & *Capilli* novaculâ accuratè *abradantur.*

Interea *Pilulæ laxativæ* alternis diebus adhibeantur.

Trochiſci.

Trochiſci pro Obſeſſis.

℞. *Rad. S. Petri* ʒiij
angelic. ʒij
poeon. ʒj
magiſtrant. ʒjß

Durant.

Durant.
Adianth. aur. ana ℈ij
Fl. hyperic. ʒjß
Thuris ʒß
Lucii piſcis hepar,
cor,
fel, ana num. j.
ſacchar. alb. ℥jß
penid. ℥ß
Tragacanth. ℈ij.
Aq. fl. hyperic. ſ. q. ſ.
Miſc. Fiant l. a. *Trochiſc.*

Horum *Trochiſcorum* unum Obſeſſus aut Maleficiatus continuè in ore detineat, & quidem non ut commordeat, ſed tantùm ut in eo colliqueſcat, ſicque lentè per fauces descendat.

Cucupha.

Cucupha pro Obſeſſis.

℞. *Rad. magiſtrant.* ʒv.
mors. Diabol. ʒiijß.
S. Petri ℥ß
angelic. ʒvj
poeon. ʒijß
Duranth.
Andianth. aur. ana ℥ß
Verben. ʒiij
Flor. hyperic. ℥i
Thuris,
Myrrh. ana ʒvij
Lucii piſcis hepat.
cord.
fell. ana num. iij.

M. F. Pulvis: inſuatur ſerico interpaſſato pro *Cucupha*, quam omni veſpere *Vini Spiritu* irroratam Æger nunquam non in capite geſtet.

 Amu-

Amuletum pro Obsessis.

Amuletum.

℞. *Rad. magistrant.* ℥j
S. Petri. ℥j.
angelic. ʒvjß
poeon. ʒvj.
Vincæ pervinc. ℥j
Duranth.
Adianth. aur. ana ℥jß
Flor. hyperic. Mij
Lucii piscis hepat.
cord.
fell. ana num. iij
Incis. grosſ. mod. Misc.

Amuletum. Sacculi. Pulvilli. Pectorale.

Ex his speciebus fiant *Sacculi*, quos Æger è collo suspendat, aut alii corporis parti affixos continuè gestet, aut in *lecto* suo, in quo dormit, deponat, aut *Pulvillum*, aut *Pectorale*, iis infarciat, atque inde conficiat, quo Ventrem & Pectus muniat.

Suffumigium pro Obsessis.

Suffumigium.

℞. *Rad. S. Petri* ℥iijß
angelic. ℥ijß
poeon. ℥jß
Artemis.
Abrotan.
Duranth.
Adianth. aur. ana ℥j
Corn. Corv. crud. ʒij
Lucii piscis hepar,
cor,
fel, ana num. i.
Thuris
Myrrh. ana ℥ij.
Misc. F. Pulvis grosſ.

Hic

Hic Pulvis prunis injiciatur, indeq; excitato *Fumo Vestimenta*, *Lectisternia*, *Conclavia*, atque ipsa *Ægrotantium corpora* ita suffumigentur, ut Fumum per infundibulum excipere, & attrahere queant.

Vinum Medicatum.

Vinum medic. pro Obsessis.

℞. *Rad. peuced.*
spondyl. ana ℥j.
chamæleon. ʒvij
mors. Diabol. ℥jß
magistrant. ℥ij
S. Petri ℥ijß
angelic. ℥jß
poeon. ℥iij
Duranth.
Adianth. aur. ana Mj.
Verben. Mij.
Fl. hyperic. Miij.
Corn. Cerv. crud. Mjß
Luc. pisc. hepat.
cord.
fell. ana Num. iij.
Vin. tenuis Mens. xiv.

De hoc *Vino* bibat Æger pro lubitu, *ordinarii potus* loco, eoque & *caput*, & *dorsum*, & alia *membra*, sæpiùs *lavet*, assumat etiam largum haustum singulis quatuor diebus pro *Sudatione*. *Potus ord.* *Lavatio.* *Sudatio.*

Condimentum formâ Pulveris.

Condimentum pro Obsessis.

℞. *Rad. S. Petri* ʒvj
magistrant. ʒiij
chamæleon. ℥ß
poeon. ʒv
Duranth.
Adianth. aur. ana ʒvj

Fl. hyper.

Fl. hyperic. ℥j
Thur. ʒv.
Lap. corall. rubr.
granat. ver.
hyacinth. ana præp. ʒij
Luc. pisc. hepat.
cord.
fell. ana Num. ji.
M. F. *Pulvis* ſubtiliſſimus.

Pulvis in cibis.

Hujus Pulveris tantillum omnis generis *cibis*, ſalis loco, im- miſcetur, atque ſic continuè uſurpatur.

Pilulæ pro Obſeſſis.

Pilulæ ſingulares.

℞. *Rad. magiſtrant.*
poeon. ana ʒij
S. Petr. ʒj
angelic. ʒiiß
Duranth.
Andianth. ana ℈iv.
Fl. hyperic. ʒiij
Luc. piſc. hepat.
cord.
fell. ana Num. 1.
Corall. rubr. præp. ʒß
Spec. diambr.
diamoſch. dulc. ana gr. vj.
Laud. opiat. gr. xx.
Cerebri Tauri vel *Vituli* nigri coloris, & quidem talis, qui ad actum generationis nondum adhibitus, & cui caput uno ictu detruncatum eſt.

Hoc autem alterutrius Animalis caput ſurſum ita elevetur, ut ſanguis in eo remaneat; idque deinde integrum, hoc eſt, cute atque pilis adhuc obtectum calidum in olla ita locetur, ne quid ſanguinis inde effluat. Hoc facto, affundatur *Aqua* *calida*

calida ex torrente, contra flumen, hausta. Fiat posthæc coctio, usque dum caput in partes abeat. Tunc omnes illæ partes dissecentur, exempto mox cerebro. Huic jamjam descriptus Pulvis inspergatur, formenturque inde *Pilulæ* Num. iij. magnitudine Ovi columbini, quas auro benè obducere decet. Atque hæ tres Pilulæ post sectionem venæ cephalicæ, aliorumqúe omnium medicamentorum, per integrum octiduum, continuatum usum, ita adhibeantur, ut altero statim die, & quidem per subsequens triduum, tribus circiter horis ante prandium una earum deglutiatur. Cæteras omnes hujusmodi capitis partes in fluentem Aquam projicere oportet. *Pilulæ.*

Post harum Pilularum usum decimo vel decimo quarto die tundantur *Venæ Raninæ* sub lingua. *Venarum raninarum sectio.*

Quo simul notandum, omnes abrasos *pilos* atque *capillos*, præcisos *ungues* digitorum cùm manuum, tùm pedum, ut & *excrementa*, atq; *urinam*, Ægrotantis, cum omnibus illis, quæ fundum petere solent, fluenti aquæ committenda esse.

Fascina, Spectra, Adjurationes, Ludibria & Præstigias Dœmonum, ex quibus Contracturæ, Anxietates Cordis, cum occultis Doloribus, ac Atrophiâ, subnasci possunt, abigendi, averruncandi, præcavendi, & homines ab hujuscemodi omnibus Malis liberandi, expedita Ratio. *Curatio Veneficiatorum.*

Purgans Medicamentum.

℞. *Rad. S. Petri* ℈j
scrophular. ʒß
angelic. ℈ij
Duranth.
Adianth. aur. ana ℈j
Flor. hyperic. ℈ijß
Thuris,
Myrrhæ, ana ℈ß

Lucii pisc. jecor.
cord.
fell. ana ℈j
Terebinth.
Syr. ℥ii
Aq. hyperic. ana q. s.
Misc.

Hoc *Purgans medicamentum* singulis octiduis, vel, quoties, & quamdiu, necessitas postulaverit, manè exhibendum est.

Feces alvi. Ubi iterum submonendum venit, omnia illa alvi *excrementa*, quæ Purgantis hujus, imprimis primâ vice, assumpti vi secedunt, unà cum *Urinis*, probè asservanda, iisque *sanguinem* venæ sectione emissum, habito super eo judicio, adjiciendum, & præterea sequentia adhuc immiscenda esse:

Urina.

Sanguis emissus in fluentem Aquam effundatur.

℞. *Rad. S. Petri* ʒvj
scrophular. ℥j
mors. Diabol.
magistrant. ana ℥ß
angelic. ʒv
Duranth.
Adianth. aur. ana ʒiij
Verbenæ, Mß
Flor. hyperic. Mij.
Misc. omnia.

Tunc in Ollam diligenter perlutatam omnia hæc immissa in *fumario* per integrum triduum *suspende*; postea primò eminùs tantùm, moxque subinde propiùs igni admove, & ad eum per duas tresve horas detine; quibus exactis, fumario iterum committe; idque tam diu, donec, Purgans denuo adhibendi, tempus instet. Tum omnia in aquam effunde, unà cum omnibus *alvinis fecibus*, aliisque *excrementis*; id quod ita continuandum, usq; ad pristinæ sanitatis redinte-

In Aquam effundenda.

dintegrationem; quo ſimul *reus*, qui talia Veneficia intulit, innoteſcet, & vehementer excruciabitur.

Potus ordinarius. *Potus pro Maleficiatis.*

℞. *Rad. mors. Diabol.* ℥ijß
magiſtrant. ℥ij
S. Petri ℥j
ſcrophular. ℥iij
angelic. ℥jß
Artemis. Mij
Abrotan. Mß
Duranth. Mjß
Adianth. aur. Mj
Verben. Mij
Flor. hyperic. Miij
Viſc. tiliæ,
coryl. ana ℥jß
Thuris, ℥ß
Myrrh. ʒvj
Lucii piſcis hepat.
cord.
fell. ana num. iij
Vini, Mens. xvj
Aquæ manè ante Solis ortum, ſine acclamatione, ſecundùm flumen hauſtæ, Mens. iij

De hoc *Potu* bibat Maleficiatus pro lubitu, & quoties ſitis urget; *Sudationem* etiam tertio quovis die inſtituat, omnique veſperi *artus* ſuos eo *fricet*.

Linimentum. *Linimentum pro Maleficiatis.*

℞. *Rad. peucedan.* ʒvij
chamæleon. ʒvj
mors. Diabol.
magiſtrant. ℥ß
S. Petri ʒv

Rad. angelic. ℥iijß
poeon. ʒiij
Artemis.
Abrotan. ana Mß
Duranth. Mjß
Adianth. aur. Mß
Verbenæ, Mj
Flor. hyperic. Miiij
Visc. corylin.
tiliæ, ana ℔ß
Misc. omnia groſs. mod. addend.
Pingued. canis,
urſi,
capon. ana ℔j
lucii piſc. ℔ß
Sevi cervin. ℥viij
Ol. ex *gum. opopanac.* ℥iiij
thuris,
myrrh. ana ℥ij
flor. hyperic. ℔jß

Linimentum ad Spaſmum, Paralyſin, Dolores.

Stent per tres menſes loco calido in vaſe probè cooperto; tunc exprimantur omnia fortiter; atque hâc *Mixturâ* deinde omnes faſcinati hominis *partes*, & quidem cùm illæ, in quibus Veneficium manifeſtè apparet, tum etiam in quibus tale quid occultè latet, ſive occupatæ ſint *Spaſmo*, vel *Contracturâ*, ſive *Stupore*, ſive vehementioribus *Doloribus*, ſive aliâ quâcunque Incantationis ſpecie, diligenter *inungantur*, imprimis poſt Balneum.

Species pro Vaporatione.

Vaporatio pro Maleficiatis.

℞. *Rad. peucedan.*
magiſtrant.
S. Petri
angelic. ana ʒvj.
Vincæ pervinc.

Arte-

Artemis.
Abrotan. ana Mß
Duranth. Mj
Adianth. aur. Mß
Verben. Mjß
Flor. hyperic. Mijß
Corn. Cerv. crud. ℥j
Acet. vini ℔iiij

Incis. omnia grosso modo stent in infusione aliquandiu.

Hujus Infusi cochlear unum aut alterum affunditur calentibus tegulis, indeque excitatus *Vapor* à Maleficiato *excipitur*, atque *conclavia* sæpiùs illo *suffumigantur*. *Vaporatio.*

Clyster.

Clyster pro Maleficiatis.

℞. *Rad. peucedan.*
spondyl.
mors. Diabol.
magistrant.
S. Petri
scolopendriæ,
angelic.
poeon. ana ℥ij
Duranth.
Adianth. aur. ana ℥j
Visc. corylin.
tiliæ ana ℥jß
Misc. omnia subtilissimè cum
Pingued. canis,
capon. ana ℔ß
Ol. sive Ung. paulò suprà descript. ℥xj

Hujus *Mixturæ* duo vel tria cochlearia indies ter *Clysteris* formâ adhibeantur. *Clyster.*

Species pro Cucuphis, Sacculis, & Pulvillis.

Amuletum pro Maleficiatis.

℞. *Rad. magistrant.* ℥ijß
mors. Diabol. ℥iij

Rad. S. Petri ℥iiij
angelic. ℥ij
Duranth. Mij
Adianth. aur. Mj
Verbenæ, Mjß
Flor. hyperic. Miij
Misc.

Cucuphæ, Sacculi, Pulvilli. Ex his Speciebus fiant *Cucuphæ*, *Sacculi*, aut *Pulvilli* partim Maleficiati *lecto* imponendi, partim è *collo* ejus *suspendendi*; quibus adhuc addere licet *dextrum oculum Lupi*, & *digitum pedis Cervi*, quas res *perpetuò secum gestet* Æger. Cucuphis autem præterea intùs ita assuantur *exuviæ Viperarum*, ut caput contingant.

Oculus Lupi. Digitus pedis Cervi.

Exuviæ Viperarum.

Trochisci.

Trochisci pro Maleficiatis.

℞ *Rad. chamæleon.* ʒiijß
S. Petri ℥j
Duranth. ʒijß
Adianth. aur. ʒj
Flor. hyperic. ℥ß
Thuris, ʒiij
Sacchar. albiss. ℥iiij
Tragacanth. ʒj
Aq. flor. hyperic. q. s.
F. *Trochisci* numero centum.

Horum *Trochiscorum* unum alterumve continuè ore detinendum, atque sensim deglutiendum est.

Nudis pedibus non incedat. Calceos sæpè mutet. Hæc in Curatione dum aguntur, monendus erit Maleficiatus primò *ne unquam nudis pedibus incedat*, & deinde ut *calceos* &c. *sæpiùs mutet*.

Ungues & Segmenta aliæ fraxino infigenda. *Plantæ pedum*, ut & *Volæ manuum*, post Balneum, *abradantur*, omnesque *Ungues præscindantur*, atque tunc omnia *Segmenta in fumario* priùs *exsiccata arbori fraxineæ juniori* infigantur.

Cætera

Cætera verò, quæ similiter à Fascinato *decidunt*, aut ei adhibita sunt, vel *Aquæ*, vel *Igni*, vel *Fumario* committantur. *Aquæ, Igni, Fumario committenda.*

Infantes ab Incantationibus aut Adjurationibus cùm præservandi, tum liberandi, Ratio.

Curatio Infantum incantatorum.

Species pro Cucuphis, Pulvillis, Sacculis, & Balneo.

℞. *Rad. S. Petr.* ℥ijß
angelic. ℥jß
magistrant. ℥ij
Duranth. Mj
Adianth. aur. Mß
Verben. Mjß
Cardiac. Miij
Flor. hyperic. Mijß
Misc.

Remedium pro Infantibus incantatis.

Ex his Speciebus fiant *Cucuphæ*, *Pulvilli*, & *Sacculi*, qui & è *collo suspendantur*, & alio jam supra indigitato modo adhibeantur. *Pulvilli, Sacculi, Periaptum.*

Iisdem Speciebus etiam pro *Balneo* cum *Aqua fluente* ante Solis ortum, sine acclamatione, haustâ parando, uti licet.

Ipsum autem Infantis corpus quotidiè illâ paulò suprà descriptâ *Mixturâ*, quam inter alia *Pingued. Sev*, & *Olea* ingrediuntur, obliniri debet. *Linimentum.*

Suffumigium.

Suffumigium pro Infantibus incantatis.

℞. *Rad. S. Petri* ℥ß
magistrant.
angelic. ana ʒij
Duranth. ʒjß
Adianth. aur. ʒj
Verbenæ, ℈iv

Flor.

Flor. hyperic. ℥iijß
tanacet. ℥j
Misc. omnia.

Hoc *Pulvere* cùm *Infans* ipse, tum etiam ejus *Lectisternia*, omniaque alia ad eum spectantia *suffumigentur*.

Impotentia Vener.

Potentiam Veneream Incantatione deperditam restituendi, itemque Membra genitalia incurvata, aut infrigidata, arrigendi, ac corroborandi,

Ratio.

Curatio Impotentiæ Magicæ.

Lac terebinthinatum in Impotentia Magica.

Lac terebinthinatum.

℞. *Rad. S. Petri,*
Duranth.
Adianth. aur. ana ʒß
Flor. hyperic. ℈ij
Virg. cerv. ʒß
Bolet. cerv. ℈j
Lact. terebinthin. ℥ij
Misc.

Assumatur pro una dosi.

Mixtura externa in Impotentia Magica.

Mixtura externa.

℞. *Virg. cerv.*
Bolet. cerv. ana ℈ß
Mixtur. superiùs descript. quam
Pingu. Sev. & *Ol.* ingrediuntur, ℥iij
Misc.

Partium genitalium Inunctio.

Hâc Mixturâ *Partes genitales* sæpiùs *calidè obliniendæ* sunt.

Sacculi. Periaptum. Balneum.

Illæ etiam *Species* pro *Sacculis* superiùs descriptæ hîc quoque valent, similiterque collo Impotentis *appendi* possunt; quin & exinde *Balneum* parare licet.

Pilulæ in Impotentia Magica.

Pilulæ.

℞. *Virg. cerv.* ʒij
Bolet. Cerv. ʒj
Boracis Venet. ℈iiij
Ol. nucist. ℈j

Ol. anis. gutt. iiij
Tragacanth.
Aq. fl. hyperic. ana q. ſ.
M. F. *Pilul.* num. xxviij.

Harum *Pilularum* una ſingulis diebus, duabus circiter horis ante cœnam, ab Ægroto in ore detineatur, ut ſenſim colliqueſcat, tunc demum deglutienda.

Omnibus illis excrementis, quæ virtute illius ſuperiùs deſcriptæ Purgationis, quam inter alia Terebinthina & Syr. ☿ii ingreditur, per alvum & urinam ſeceſſerunt, addendæ inſuper ſunt illæ etiam Species, poſt citatam Purgationem jam ſupra in medium allatæ. Tuncque omnia hæc unà ollæ immittantur: hæc deinde benè perlutata primò in fumario ſuſpendatur, poſtmodùm igni admoveatur, tandemque aquæ immergatur. *Fumario, & tandem Aquæ committenda.*

Hoc ampliùs hujuſcemodi Maleficiatus *Urinam* ſuam per *talis aſſeris*, cui defunctus aliquando impoſitus fuit, foramen ex ramuſculi perruptione ſuâ ſponte enatum, vel in *hiatum ſudis*, mittat. *Urina quomodo emittendat.*

Contra Epilepſiam Magicam Remedium ſingulare.

Curatio Impotentiæ Magic.

℞. *Caphuræ* ℥j
Divid. in partes novem, & exhibe cum nonnullis guttulis *urinæ propriæ.*

Tunc fruſtum *Panis ſegalin.* toſt. *Umbilico Ægri applica*, eumque in hypocauſto calido tegumentis calidis benè tectum ad *Sudorem* diſpone.

Ruta in ſpecie Epilepſiæ Magicæ, cui ſe immiſcere ſolet nonnunquam Diabolus, medetur, itemque *Viſcus colurn.*

Contra Phreneſin Magicam.

Curatio Phreneſis Magic.

Ante Solis ortum verſus ortum hæ herbæ cædantur: die ☉ *Cichorium*; die ☽ *Sempervivum*; die ♂ *Antirrhinum*

album; die ☿ *Verbena*; die ♃ *Perfoliata*; die ♀ *Abrotanum*; die ♄ *Aſphodelum*. Fiat Pulvis. Detur Ægroto vel in forma Pulveris vel Decocti.

Cichorium virid. Ubi notandum, *Cichorium virid.* multæ eſſe efficaciæ & virtutis; ſicc. verò nullius, quia Stella hujus herbæ in ſicco non ita operari poteſt.

Contra Maniam Magicam.

Curatio Maniæ Magicæ. *Ol. camphoræ* à gutt. iiij ad gutt. vj aliquoties detur.

Aq. narcotic. *Aqua narcotic.* Mynſicht. à ℈j ad ℈ij.

Epithema Capit. *Epithema capitis* generale.

Veſicator. *Veſicatorium* Myns.

Clyſter. *Enema ſpecificum* Myns.

Sanguis Aſini. *Sanguis Aſini* ex venis poſt aures captus, in quo *linteola munda tingantur*, macerentur, & exſiccentur, poſtea immergantur, ubi uti volueris, *aquæ puræ fontanæ*, donec coloretur, hæcque *aqua tridui ſpatio manè epotata præbeatur.*

Decoctum Anagall. *Decoct. Anagallid.* flor. purp.

Lixivium capitale.

Lixiv. capital. in Mania Mag.

℞. *Aq. nymph.* ℥iij
roſar.
bugloſs. ana ℥jß
Syr. ribium aut *limon.* ℥ijß
⊖ ⊕ ʒjß
Miſc.

Capitis Perfuſio.

Cotio capitis in Mania Mag.

℞. *Fol. lactuc.*
ſemperviv.
ſolatr. ana Mjß
Flor. nymph. alb. Mj.
Capit. papav. num. x.
Rad. hellebor. ℥ß
M. F. *Decoctio*, quâ Caput perfundatur.

Inun-

Inunctio.

Inunctio Mania Mag.

℞. *Ol. nymph.*
rosar.
omphacin. ana ℥j
Succ. sempervív.
malv.
lactuc. ana ℥ß
Vin. opt. ℨiij
Cum modico *Ceræ* fiat *Linimentum.*

Jus medicatum.

Jura, in quibus hæ herbæ fuerint incoctæ.

Serum caprin.

Serum caprinum optimum est.

Balnea Aq. dulc.

Balnea Aquæ dulc. etiam prosunt; item *Syr. de pomis* cum *fol. sennæ*, nec non

Syrup. in Mania Mag.

Syr. Bugloss.
borrag.
violar.
nymph.
papav.
endiv. comp.

Grana Been.

Grana Been decorticata.

Morsuli.

Morsuli in Mania Mag.

℞. *Gran. Been* decorticat. num ij. *Sacchar. fin.* ℨij
Amygd. dulc. decorticat. num. iv.
M. F. l. a. *Morsell.*
Rad. & *sem. agn. cast.*

Suppositoria.

Suppositoria in Mania Magic.

℞. *Extr. veratr. nigr.* ℈j
fol. senn. ℈ß
Troch. alband. gr. v.
⊖ *gemm.* gr. vj
F. cum s. q. *Mellis agarisat. Suppositoria* num. ij

Emplastrum nobile.

Emplastrum in Mania Mag.

℞. *Sem. papav. alb.* ℨiij
hyoscyam.

Cort. capit. papav. alb. ana ℥j
Croc. ℈j
Opii, gr. vj
Lact. vaccin. ℔jß
Panis triti ſubtiliſſimè q. ſ.
Vitell. ov. num. iij.
M. F. l. a. *Emplaſtrum.*

Aliud.

vel ℞. *Sem. papav. alb.*
hyoſcyam. ana ℥jß
Cort. mandragor. ℨij
Opii, gr. xv.
Croc. gr. vj
Lact. vaccin. q. ſ.
M. F. *Emplaſtrum.*

Brodium.

Brodium.

℞. *Sem. papav. alb.* ℥ß
Exhib. in brodio carnis

Lotio Capitis in Mania Mag.

Lotio pro Capite.

℞. *Herb.* & *Rad. oſtrut.*
Flor. bugloſs.
borrag.
violar.
nymph.
Fol. lactuc.
ſenn.
Follicul. ſenn. ana Mij
Cort. mandragor. Miij
Sem. hyoſcyam. ℨvj
Capit. papav. alb. cum *ſem.* num. xvj
Miſc. & adhib. pro *Lotione Capit.*

Balſam. cordial. in Mania Mag.

Linimentum pro Corde.

℞. *Ung. de nymph.*
citrin. ana ℥j
Galliæ moſchat. gr. iij
Miſc.

Cathar-

Catharticum.

Purgatio in Man. Mag.

℞. *Mann.* ℥j
Cort. veratr. nigr. pulv. ʒijß
Cinamom. ℈j
Infund. *bellebor.* cum *cinamom.* per vi. horas, factâque unicâ expressione, fiat fortis ebullitio, ut omnia dissolvantur; add. *Julep. violar.* ℥jß
Misc. & exhib. pro una Dosi.

Fiat *Venæsectio* primò ex *basilica*, deinde ex *media jecoraria*, *humerali*, & *venâ frontis*. *Venæsectio.*

Lixivium.

Lixivium in Maniæ Mag.

℞. *Fol. senn.*
salicis.
Flor. buglöss.
chamomill. ana Mj
nymph.
stoechad. Arab. ana Mß
Sem. lactuc. ʒj
papav. alb. ʒß
Cum *Ciner. cichor.* fiat Lixivium.

Apozema.

Apozema in Maniæ Magica.

℞. *Aq. lupul.*
fumar.
borrag.
scolopendr. ana ℔ß
Coq. in iis *Epithym. Cret.* ʒvj & *Follicul. senn.* ℥ij. Fiat Decoctio ad remanent. ℥xx. Col. ℞.
Oxymell. simpl.
Syr. Regis Sabor. ana ℥iij & ʒvj.
Misc. & exhib. pro Dosi ℥v.

Folia buxi pulverisentur, & quotidiè exhibeantur. *Fol. buxi.*

Alii *Gallinam nigram* ægrotantis *capiti adaptant*, & per integrum triduum super eo ita relinquunt. *Gallina nigra capiti imponenda.*

Allium. *Allium* cum *vino* adusto etiam imponitur.

Lac suillum bibendum. *Lac suillum propinetur* pro potu.

Haustus.

Potio in Mania Mag.

℞. *Herb. anagall.*
numular. ana Mj

Bulliant in dimidia mensura *Vini*, & manè exhibeatur *Haustus.*

Fol. coryl. *Folia coryl.* ægrotantis *capiti affigantur.*

Agni nigri caput. Accipe *Agnum nigrum* gregarium; huic unico ictu *caput* detrunca, idque unà cum lana & omnibus aliis adhærentibus particulis coque; coctum benè condi, atque Patienti in tribus dosibus, sive in tres partes divisum, per tres continuos dies manè comedendum exhibe.

Vituli pulmones. Nonnulli accipiunt *Vitulum*, & ejus *Pulmones* rasc ægrotantis *vertici imponunt.*

Apozema in Mania Mag.

Apozema.

℞. *Polypod.* ℥jß
Fol. senn.
Epithym.
Sem. anis.
fœnicul. ana ℥jß
citr. ʒß
Fumar.
Lupul.
Buglos.
Borragin.
Violar. ana Mß
Cort. ellebor. nigr. ʒij
Zinziber. ʒj
Sacchar. ℥jß

Decoq. in *Seri caprin.* Mens. j. add.
Elect. catholic.
diasenn.
lenitiv. ana ℥ß

Rha

Rhabarb. el. ʒj
Cinamom. ʒß
Divid. in tres Doses pro tribus matutinis.

Potio.

Potio in Mania Magic.

℞. *Sem. papav. alb.* ℥ß
hyoscyam. ʒiij
lactuc. ʒij
Aq. rosar. ℥iij
Lact. muliebr. ℥j
Opii, gr. vij
Croc. gr. xv.
Misc. & exhib. pro aliquot dosibus.
Columba nigra media secta pedum plantis admoveatur.

Oxyrrhodinon.

Oxyrrhodinum in Mania Magic.

℞. *Aq. rosar.*
acaciæ, ana ℥ij
melilot.
verben.
chamomill.
Acet. rosac. ana ℥jß
Nucl. persic. num. xx.
Extrahatur *Emulsio* pro *Oxyrrhodino*.

Epithema frontale.

Epithema frontale in Maniæ Magic.

℞. *Aq. flor. acaciæ,*
rosar. ana ℥jß
chamomill.
melilot.
lavendul. ana ℥j
Acet. rosac. ℥jß
Nucl. persic. num. xvij.
Camphor. ℈ß
Croc gr. iij
Misc. & adhib. eodem modo

Aqua

Epithema Cordis in Mania Magic.

Aqua Cordialis externa.

℞. *Aq. rosar.*
melissæ,
borrag.
acetos. ana ℥jß
Acet. rosac. opt. ℥iij
Spec. diambr.
diamarg. fr.
diamosch. dulc. ana ʒß
Sem. citr. ℈ij
Camphor.
Croc. ana ℈ß
Misc. pro *Epithemate Cordis.*

Lixivium in Mania Magic.

Lixivium.

Fiat *Lixivium* decoctionis cum *Rad.* & *Herb. ostruti* atque *comis anethi.* Hoc *Lixivio* rasum prius caput Patientis lavetur per quinque continuos dies, deinde benè exsiccetur linteis calefactis ad ignem, prunis insperso Pulver. *mastichis, succini, ligni aloes.*

Nasal.

Pulvis item *Sem. rutæ* contusæ ligetur in linteolo subtili, illudque maceratum aceto inseratur naribus.

Cor Hirundinis. Experimentum Principissæ in Mania Magica.

Cor Hirundinis crudum incisum & mixtum omne simul unâ vice devoretur: quod est *Experimentum Principis Dorotheæ* Palatinæ, Viduæ.

Frontale in Mania Mag.

Frontale.

℞. *Gran. juniper.* ℔ß
Sem. papav. alb. ℥iij
cannabis, ℔ß
Contus. affund. *Aq. aneth.* & *rosar.* ana q. s.
Misc. pro *Frontali* per quinque continuos dies.

Raphanus capiti imponendus.

Raphanus tritus super cerebrum positus etiam prodest.

Cataplasma.

℞. *Sem. nigell.* in tenuissimum pollinem,

redact

redact. cum *ol. rosar.* q. s. F. *Cataplasma*, imponendum vertici capitis.

Pulvis in Mania Mag.

Pulvis.

℞. *Senecionis,*
Sem. rut. ana ʒij
Cepar. saxatil. ʒiij
Anagall. rub. Mij
Verben.
Auricul. mur. ana Mj
Misc. F. *Pulvis*, cujus dosis pro forti ʒj, pro debili ʒß.

Linimentum pro abdomine in Mania Mag.

Linimentum.

℞. *Pulp. colocynth. pistac.* ʒvj
Bulliat in *Aq. commun.* add.
Butyr. Majal. ʒiv
Ol. nardin. comp. ℥ß
rut.
lilior. alb.
aneth.
chamomill.
hyoscyam. ana ℥j
Ceræ q. s.
Misc. F. *Linimentum*, quo ægrotantis abdomen inungendum.

Contra Philtra Mag. in genere. Ranæ vir.

Contra Philtra Magica.

Ranæ virides exsiccentur, tumque in Pulverem redigantur, & hujus formâ deinde crebriùs exhibeantur.

Contra Philtra Magic. in specie. Remedium. Stercus Gallin. Lac. Pulv. Cancror.

Contra Philtra Magica in specie ex sanguine menstruo fœmineo.

Aqua gentianæ destillat. in potu; itemque *Pulvis gentianæ* sæpiùs exhibeatur.

Decoctum Stercoris Gallin. experientiâ Helidæi etiam prodest; nec non *Lactis* cyathus cum *Pulvere Cancrorum fluviatilium.*

Item *Rut. murar.* & *Rut. hortens.* ana ʒj cum *Theriac.* ʒjß. Misc. pro aliquot dosibus.

Vinum aquileg. Alii *Vinum aquilegiatum* pro potu exhibent.

Calculus microcosmi. Amoris insani remedium. Philtris hujusmodi potatis *Calculus ex homine exsectus*, & in Pulverem redactus in *Aq.* vel *Succ. nasturt.* exhibitus utiliter amore furentes restituit, ut & *Theriaca* cum *Aq. hyperici.*

Curatio Arthritidis Mag.

Pulvis specific. in Arthrit. Mag.

Contra Arthritidem Magicam Pulvis specificus.

℞. *Pulv. antirrhin.*
succis.
hyperic.
artemis. ana ʒj
bacc. Parid. ʒß
cran. human. ℈iiij
spin. serpent. ʒjß
rad. poeon.
corall. alb.
rubr. ana ʒß
corn. Cerv. præp. ℈j
lap. bezoar. Occ. ℈ß

Misc. & hujus *Pulveris* tantum, quantum tres cultri cuspites capere possunt, quotidiè ante cubitum lecti ægrotanti exhib.

Conditum in Arthrit. Mag.

Conditum.

℞. *Cons. primul. veris*
poeon. ana ℥ß
lavendul. ʒii
betonic. ℥j
salv. ʒjß
Mithridat. sel. ℈iiij
Spec. diamargar. frig. ʒß
Pulv. polytrich. Apul.

Pulv.

Pulv. adianth. nigr.
musc. terrestr. ana ʒj
Cum ſ. q. *ſyr. poeon.* F. *Conditum*, de quo capiat Æger omni manè tantillum.

Decoctum.

Decoctum in Arthrit. Mag.

℞. *Rad. poeon.*
primul. veris, ana ℥j
cichor.
caryophyllat. ana ℥jß
Lign. ſaſſafr.
Viſc. quern. ʒvij
Paſſul. min. ℔ß
Incis. & contus. l. a. coq. in *Aq. ſimpl.* Mens. vj.

In Ulceribus Magicis.

Curatio Ulcerum Magicorum.

Emplaſtrum ex Angelica ad Ulcera Magica.

Emplaſtrum ad Ulcera Magica.

℞. *Fol. angelic. ſativ.*
ſylveſtr.
polytrich. Apul.
artemis.
ægopod.
ſummit. hyperic.
mors. Diabol.
vinc. pervinc. ana Mj
rut.
virg. aur.
auricul. muris
origan.
Viſc. betul. ana virid. Mj
Incis. & contus. miſceantur cum
Butyr. inſalit. ℥vj
Ol. olivar. ℥xxiv
Vini veter. ℔j
Macerentur aliquandiu in lapideo vaſe; poſtea coq. ad conſumptio,

ſumptionem *Vini* & *Succorum*; col. & exprim. calidè, add. *Lithargyr. aur.* & *argent*, coq. iterum ad conſiſtentiam Cerati; add.

Opopanac.
Serapin.
Galban. ana acet. diſſolut. ℥j

Col. denuoque coq. ad conſiſtentiam; poſtea rurſus add.

Ceræ citrin. concis.
Terebinth. ana ℥vj
Reſin. pin.
Picis, ana ℥iv

add. his liquefactis

Ol. juniper.
Pulv. angelic. ana ℥ij
Gagat. nigr. ℥ß
Maſtich.
Thuris,
Aloes epatic. ana ℨvj
Polytrich. Apul.
Corall. alb.
rub. ana ℨß

Miſc. & cùm *Ol. hyperic.* q. ſ. fiant Magdaliones

Potus.

Potus in Ulceribus Mag.

℞. *Angelic. ſylveſtr.* & *ſativ.*
Mors. Diabol.
Summit. hyperic.
Vinc. pervinc. ana Mj
Sanicul.
Virg. aur.
Polytrich. Apul.
Auricul. muris,
Artemis. ana Mß
Sacch. fin. ℥iv
Aq. fontis Mens. ij
Vini alb. vet. Mens. ß

Coq.

Coq. per horas quatuor in B. M. & exhib. Patienti pro dosi ℥iij.

Vinum medicatum.

℞. *Rad. angelic.* ℥iß
Visc. coryl. vel *colurn.* ℥ß
Artemis.
Polytrich. ana Mß
F. l. a. *Pugillus* ſeu *Nodulus* ad Potum.

Vinum medic. in Ulceribus Magicis.

Potus Vulnerarius in Ulceribus Magicis D. Casp. Bauhini.

℞. *Fol. angelic. hortens.*
sylvestr.
mors. Diabol.
vinc. pervinc.
Summit. hyperic. ana Mj
Herb. sanicul.
virg. aur.
adianth.
polytrich. aur.
auricul. muris,
artemis. ana Mjß
Sacchar. alb. ℥iiij
Aq. fontan. ℔ij
Vini alb. ℔j

Potus Vulnerar. in Ulceribus Magicis.

Coquantur omnia in ahenea lagena optimè cooperta per quatuor horas: frigeſcant, tuncque colentur & exhibeantur manè ℥iij, ut & veſperi.

Hîc probè notetur, quòd *Pili*, & omnes illæ *Sordes*, quæ per Vulnera Magica exeunt, ante ſolis ortum indi debeant *Trunco Populi nigræ.*

Sordes Populo nigræ indendæ.

Nec hoc hîc loci omittendum, in Morbis & *Vulneribus Aſtralibus* ſeu *Magicis Unguentum Sympatheticum* ſtellatum vires exerere admirandas.

Unguentum Sympatheticum.

Eſt autem *Unguentum Sympatheticum* ſtellatum parandum, quando eſt ſextilis ♃. Legatur *Uſnea Cranii humani* in Domo ♀, non ♄ aut ♂.

Monachi Cumicensis Descriptio hæc est.

Unguenti Sympathetici genuina Descriptio.

℞. *Adip. aprugn.*
ursi ana ℔j

Bulliant in *Vino rubro*, postea effundantur super frigidam *Aquam*, & *Pinguedo* innatans cochleare colligatur; add.

Santal rubr. pulv.
Lapid. hæmatit.
Usneæ craniorum, vel *Cranium hominis* diu suspensi, ana.
Lumbricor. mundator. & in clibano exsiccator. tantum, quantum testâ ovi contineri potest.
Oculorum ranarum siccatar. pulveris. quantum dimidia ovi testa capit.

Tunc ℞. *Bistort.*
Agrimon.
Bismalv. ana ℥ß

In *Fractura* ossis addatur *Symphytum*. Fiat. l. a. *Unguentum*, quando Sol in Libra existit, vel x. aut xi. Septembr.

Fractura ossis Cur.

Causa ab Hermeticis statuitur tam admirandæ operationis, cum Platone, Anima Mundi, seu Vernach Elohim, Spiritus universalis, seu, Magnes catholicum.

Præterea experientiâ edocti scimus, *Linteola Urinâ humanâ* madefacta & imposita *Vulneribus Astralibus* seu *Magicis* multum adferre juvaminis.

Curatio Dolorum Magicorum. Casus Morbi Magici.

Denique Morbi Astralis seu Magici *Cura particularis* præsente Caspar. Amthor, à Conjuge Nobilis à Breitenbach facta in Ancilla, quæ in brachio dextro summis & præternaturalibus *Doloribus* excarnificata decubuit, hæc ferè est.

Remedium singulare in Doloribus Magicis.

Sumpsit *Pulverem Corallii*, inspersit *folio querno* virenti, & alligavit rubenti ac dolenti brachii loco, quod Maleficam incantasse credebant; reliquit per duas horas, post quas exierunt *Capilli*, *Prunæ*, *extremitates Acuum* &

Spinarum: perseveravit per triduum & quatriduum, donec nihil amplius ex ista materia apparuit, ubi, cessante Dolore, Ulcus consolidavit.

Exemtæ illæ res *quercui* versus Ortum impactæ sunt, ut aeris contactu prohiberentur, insciâ Famulâ.

Post mensem, apertâ *Quercu*, Dolor & rubor denuo oboritur huic Ancillæ, cum Syncope, Mentis alienatione, & aliis sævissimis symptomatibus. Ubi verò denuo remedium applicatum, plus *Acuum chalybeatarum* & *orychalcinarum* extraxit, quæ rursus impactæ *Quercui* Dolorem sedarunt.

Atque hæc sunt illa *Collectanea* & *Secreta anti-Magica Myliana*, quibus non possumus non, antequam finiamus, de nostro addere *Balsamum Magicum Pfortzheimense* dictum, quod ibi est omissum, idque, vel, quòd post Mylii illius ætatem demum sit inventum, vel, quòd illi Authori non fuerit cognitum. Hodiè autem adeo decantatum, tantoque in pretio est, ut omnibus aliis anti-Magicis remediis dubiam reddat palmam. Et verò Pfortzheimense dicitur singulare hoc Medicamentum, fortassis partim, quòd in illa non incelebri Marchionatûs Badensis Urbe inventum fuerit, primùmque parari coeperit, partim quòd abinde satis copiosè aliorsum potissimùm deferri hodienum soleat. In illo enim Districtu, nec non Würtenbergensi Ducatu, vicinisque regionibus tanti æstimatur hoc Balsamum, ut non solùm è Medicis illis frequentissimè præscribatur, sed & à plebecula indies ferè ex Pharmacopoliis emptione exigatur, & quidem varios in usus. Et Medici quidem in *omnibus Morbis Magicis*, vel saltem in quibuscunque abstrusioribus Casibus *aliquid Magici subesse* suspicantur (suspicantur autem sæpissimè) ilicèt salutarem hanc Medicinam adhibent. Ita quoque vulgi credulæ plebi nihil communius esse solet, quàm ut in paulò insolentioribus symptomatibus cùm adultorum, tum imprimis infantum, quæ à *Veneficio dependere*, sibi persuadent, ad hoc Balsamum, ceu sacram anchoram, confugiant

Balsamum Magicum Pforzheim.

Præstantissimum anti-Magic. medicam.

cur ita dictum?

in quibus Casibus adhibendum?

quomodo adhibendum? ant. Usurpant autem & *intùs*, & *extùs*: *intùs*, propinando ejus guttas vel grana 15. 20. 30. in *Jure carnis*, *Vino*, aliove convenienti vehiculo; *extùs* verò, calidè allinendo parti affectæ, naribus, nuchæ, temporibus.

intus quomodo adhibendum? extùs quomodo adhibendum?

Sed quorsum hæc omnia? nisi habeamus ipsam Remedii hujus Descriptionem, quæ, nullus dubito, quin potissimùm desideretur. Ast hanc hâc exhibere paginâ, nolui, ne crambem bis coctam apponere, aut actum agere, videar. Videat eam, qui volet, hujusce *Opuscul. Cas. XV. p.* 85. non quidem sub hoc ipso, sed sub nomine *Olei hyperic. comp.* Göleri descriptam. Hoc enim *Oleum* cum *Balsamo Magico Pfortzheim.* (cujus genuinam Descriptionem non nisi precariò, & admodum difficulter, hisce demum diebus, ceu oppidò raram, & præcipuis Secretis Medicis annumeratam ab Amico obtinuimus, quoad omnia ingredientia, prout institutâ collatione luculenter patuit, examussim convenit, modò dicto Göleri *Oleo hyperic. comp.* insuper addas

Balsamum Magicum Pfortzheim. descriptio

convenit cum Ol. hyperic. c.

Ol. Philosophor. ℥ij
Herb. scabios.
menth. crisp.
polytrich.
antirrhin. omn. spec. ana Man. iij
Flor. auricul. muris, Man. j.
Pomor. momordic. Man. iij
Baccar. herb. Paridis, ℥jß

Hæc, inquam, si adhuc adjeceris, habebis verissimum *Balsamum Magicum Pfortzheim.* quoad modum præparationis ab illo *Oleo hyperic. comp.* nil quicquam differens; quæ ipsa est ratio, quòd id hîc repetere, supervacaneum duxerimus.

Balsami Magici Pfortzheim. vera descript.



INDEX

INDEX SPECIALIS
omnium potiorum Rerum in toto hoc Opusculo contentarum.

A.

Capi-

F.

G.

H.

I.

Reme-

S.

FINIS.



Errata,

quæ furtivâ quaſi tantùm reviſione in oculos noſtros incurrerunt.

Pag. 1. lin. 7. pro diomate: leg. idiomate.
6. lin. 22. pro excererit: leg. exeruerit.
8. in Marginal. pro Papilones: leg. Papiliones;
eâd. in Marginal. pro Aſſellus: leg. Aſellus.
eâd. in Marginal. pro Erruræ: leg. Erucæ.
13. lin. 20. pro Clavens: leg. Clavos.
eâd. lin. 30. pro Tragædiam: leg. Tragœdiam.
14. lin. 15. pro certò: leg. certè.
36. lin. 27. & 35. pro Agryppa: leg. Agrippa.
37. in Marginal. pro Dæmon: leg. Dœmon.
53. lin. 31. pro fætus: leg. fœtus.
58. in Marg. pro corporæ: leg. corpore.
62. lin. 29. pro venev. leg. venef.
64. lin. 26. pro dolororiſſimis: leg. doloroſiſſimis.
108. lin. 19. pro aſpero: leg. aſperſo.
114. lin. 3. pro quæ: leg. qui.
126. lin. 30. pro cooporis: leg. corporis.
130. lin. 4. pro illatos: leg. illatas.
140. lin. 8. pro Venefiica: leg. Venefica.
144. lin. 3. pro illatos: leg. illatas.
159. lin. 20. pro Faſcinantur: leg. faſcinantur.
213. lin. 15. pro Faſcine: leg. Faſcina.
214. lin. penultimâ pro commendalum: leg. commendatum.
240. in Marginal. pro Cichorinm: leg. Cichorium.
253. lin. 25. pro è: leg. à.
254. lin. 16. pro obtinumus: leg. obtinuimus.